Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Lucani sententia de Deis et fato

https://hdl.handle.net/1874/237724

K 40192 Lith. 15 Juni 18

I. E. MILLARD.

LUCANI SENTENTIA DE DEIS ET FATO.

A. qu.
192

LUCANI SENTENTIA DE DEIS ET FATO.

LUCANI SENTENTIA DE DEIS ET FATO.

DISSERTATIO LITTERARIA

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOHANNIS HENRICI GALLÉE
Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct. in Fac. Litter. Prof.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

NOBILISSIMAE FACULTATIS

PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI PROPONET

IOSEPHUS ENGLANDUS MILLARD
STUTTGARTENSIS.

D. XV. M. Junii A. MDCCCXCI, Hora I.

BIBLIOTHEEK DER RIJKSUNIVERSITEIT TE UTRECHT

TRAIECTI AD RHENUM,
APUD P. H. REYERS.
MDCCCXCI.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS
SACRUM.

Via est perfecta, mox aderit ille dies, quo demum cives Academiae, ut verbis clarissimi hominis utar, sui iuris fiunt!

Mihi illud spatium temporis praeteriti, quo in Academia versatus sum, memoria repetenti subit in mentem imprimis illa benevolentia et eruditio clarissimorum hominum, qua per illos annos frui mihi contigit.

Semper gaudebo quod primis [annis tuis lectionibus interesse potui, clarissime Opzoomer, *tam multos annos gloria nostrae Academiae. Tua doctrina et tu ipse firmiter in discipulorum memoria semper haerebis.*

Tibi autem, clarissime van Herwerden, *optimas et maximas gratias ago tuae eruditionis, qua tu quasi ipsam animam linguae Graecae discipulis tradas. Numquam obliviscar, quam multa tibi debeam.*

Tibi quoque, clarissime Wijnne, *valde obligatus sum propter illas lectiones, quibus summa comitate et integro iudicio res Romanas factas mihi tradidisti. Utinam ego quoque eadem aequitate, sine ira et studio res humanas iudicem!*

Omnium maximum privilegium semper ducam, quod Fortuna me permisit te, clarissime Francken, *promotore uti, antequam munere Academico abdicas. Nam non modo summam voluptatem et maximos fructus e tuis lectionibus percepi, quibus spiritum intimum*

antiquitatis, et philosophiam elegantiamque litterarum Latinarum tradis, sed tua benignitas et tua humanitas singularis semper me stimulavit et confirmavit.

Neque umquam tuum consilium, tua amicitia, tua opera mihi defuit in hoc opere conficiendo, ne ad extremum quidem, cum valetudine affectus esses. Multos per annos, homo venerabilis, illo otio cum dignitate fruaris, semper amore et honore tuorum cultus.

Et semper animo grato, doctissime Morell, *recordabor illas egregias lectiones de arte Graecorum, quibus tu me a studio magis austero avocasti.*

Vos omnes autem, cuius amicitia hos per annos frui mihi licuit, vale. Imprimis vos, quattuor veterani, cara membra nostrae sodalitatis, quae magna arrogantia se cohortem praetoriam facultatis nostrae appellare audebat, cuius ego quinta et parva pars fui, persuasum habeatis, quamvis procul saeva necessitas vitae humanae nos diducat, mea vota et meam amicitiam sinceram vos semper sectaturam esse.

PROOEMIUM.

Iam Heraclitus de rerum natura asseveravit: „πάντα ῥεῖ" et Stoicorum dogma erat, vitam animantium nihil aliud esse, nisi perpetuam corporum mutationem, ita ut omne corpus ex confusione (σύγχυτις) aut colligatione (κρᾶσις) aut permixtione (μῖξις) aliorum corporum ortum sit [1]). Quod dogma imprimis dissertationibus academicis probari videtur! Nam quid aliud quam confusio, colligatio, permixtio aliorum operum, de eodem argumento scriptorum, videntur? Quod, tam multis praecedentibus, paene necessarium est. Nam alicui novam materiam tractandam quaerenti, non facile est invenire, neque in litteris classicis, neque in alia disciplina. Sed adhuc nemo operam praecipuam et propriam in Lucani sententiam de rebus divinis investigandam navavit. Nonnulli auctores quidem operam et oleum — non perdiderunt certe, sed consumpserunt in vita et scriptis Lucani exponendis [2]), alii in fide historica, sententia de republica, fontibus eius carminis indagandis [3]), alii rursus de linguae pro-

1) Cf. Stob. Ecl. I: 376.

2) H. Genthe: „de M. Annaei Lucani Vita et Scriptis." Berl. 1859.
A. Preime: de Lucani Pharsalia. Marburg 1859.
D. Nisard: Etudes sur les Poètes Latins de la Décadence. T. II. pg. 73—394: Lucain.
H. Diels: Seneca und Lucan. Abh. Kön. Preuss. Akad. 1885.

3) J. A. du Mesnil: de Rebus Pharsalicis. Berl. 1860.
A. R. Friedrich: de Lucani Pharsalia Dissertatio. Progr. Gymn. Bautzen. 1875.
A. Schaubach: Lucan's Pharsalia & ihr Verhältniss zur Geschichte. Meiningen. 1869.

prietatibus, de lectionibus, de codicibus disseruerunt [1]), sed quid Lucanus de deis, de immortalitate, de fato senserit, restat ut quis accurate perscrutetur [2]).

Si autem in dies crescit studium historiae culturae Romanae, qualis primis saeculis p. C. n. fuerit, si verum est nostram culturam ex illius radicibus ortam esse, iisque temporibus penitus inhaerere, maximi certe interest cognoscere, quid senserint de rebus divinis et humanis scriptores eius temporis; et unius ex illis auctoribus sententia investigata, laudabile videbitur, pro viribus haud validis aliquantillum ad maximum aedificium attulisse.

Nobis autem opiniones aequalium ex illis auctoribus efficere studentibus, imprimis poema Lucani satis claram lucem dare poterit. Lucanus enim non erat homo doctus, studiis subtilioribus et litteris abstrusis deditus, procul a populo Romano et hominum societate vitam degens, sed

---

J. Girard: Un poète républicain sous Néron. Rev. d. Deux-Mondes. Juill. 1875.

N. J. Singels: de Lucani fontibus ac fide. L. B. 1884.

G. Boissier: l'Opposition sous les Césars pg. 289 sq.

1) C. M. Francken: Miscella, Mnemosyne 1888. pg. 371 sq.

C. M. Francken: Miscella: Mnem. 1889. pg. 53 sq.

C. M. Francken: De Lucani versibus, propter Vossianum. 2. B. et Montepessulanum suspectis. Mnem. 1890. pg. 5—22.

C. M. Francken: Selecta de Montepessulano et Ashburnhamensi Lucani. Mnem. 1891. pg. 16—40.

G. Steinhart: De Emendatione Lucani. Bonnae. 1854.

G. Hundt: De Lucani Comparationibus. Cothen. Anhalt. 1886.

C. E. Sandström: Emendationes in Lucanum etc. Upsal. 1878.

H. Genthe: Scholia Vetera in Lucanum. Berl. 1868.

H. Usener: Scholia Bernensia in Lucani Bellum Civile. Leipz. 1869.

P. H. Damsté: Ad Pharsalica. Mnemos. 1890. pg. 342 sq.

2) Proximae editioni Brittanicae Pharsaliae, curante C. E. Haskins, satis magno et optimo prooemio praefixo, a W. Heitlandio hae res quidem attinguntur, sed tantummodo est brevissima synopsis. cf. D. Matter of the Pharsalia. 34) Contemporary Relations to Philosophy. pg. XLII—XLIX.35) to Religion. pg. XLIX—LI.

contra, iuvenis ingenio vehementi et fervido, nobili loco natus, amicus intimus Neronis, discipulus et filius fratris Senecae, in vitam turbulentam Romae se praecipitans, sine dubio facillime ab aliis commotus, opinionibus aequalium imbutus est. Iam in Pharsalia legenda in oculos incurrit, ut Lucanus poema haud epicum et tranquillum, sed historicum et summis animi perturbationibus refertum panxerit. Nonne igitur valde probabile est carmen a tali poeta confectum, claram imaginem aequalium sententiarum praebere?

Primo et secundo saeculo p. C. n. sententiae hominum de deis et rebus divinis paulatim immutari videntur. Iam temporibus Ciceronis opinione de deis antiqua subruta et labante hominum quidem excultorum vacillavit fides, primo autem saeculo p. C. n. dubitatio etiam in homines infimos penetravisse videtur, quod multis epigrammatis sepulcralibus probatur [1]). Sed si mores et ingenium Romanum in mentem revocaveris, omnia antiqua mire diligens et conservans, nil mirum si philosophiae Stoicorum et Epicureorum, quam homines exculti amplexabantur, multos per annos immo per saecula, cum superstitione vulgari certandum fuit, donec ipsa in vicem a religione Christiana victa est. Et ut Stoici multis in rebus notionibus priscis se accommodaverant, sic doctores Christianae religionis saepius philosophiae vim experiebantur.

Sed fieri non potest ut accurate constituatur et determinetur, quatenus illa dubitatio philosophica veteres opiniones populi summoverit; nam si difficillimum est his temporibus aequalibus, quae sit de divinis rebus sententia alicuius populi, cognoscere, quanto difficilius sententiam Romanorum primi saeculi, ex auctoribus perspicere! Ad quam rem efficiendam scriptores illius tem-

---

1) Cf. Friedländer: Sittengeschichte. III. pg. 682.

Cf. his de rebus: G. Boissier: La Religion Romaine d'Auguste aux Antonins. Par. 1884.

P. Montée: le Stoicisme à Rome. Par. 1865.

poris, e. g. Juvenalem, Persium, Tacitum, Lucanum, accuratissime inspicias, necesse erit.

Doctissimus vir Friedlaenderus, in opere clarissimo [1]) putat dubitationem et impietatem eius temporis, de quo agimus, non tam universam fuisse, ac vulgo credatur; et comparatione inter populum Romanum primi saeculi et populum Franco-Gallicum saeculi duodevicisimi, instituta [2]), ostendit etiam tunc magnam partem multitudinis in fide Ecclesiae perseveravisse, quamquam Voltarius, Rossavius aliique, qui Encyclopaedistae vocantur, sine dubio satis multum valebant.

Nos malimus tempus Lucani cum nostra ipsorum aetate comparare; ut tunc superstitio vulgaris, nunc illud triste genus religionis, in quod Medium Aevum religionem Christianam detorsit, animam agere videtur; ut tunc homines prisci moris regnum philosophorum et Christianorum in dies crescere clamabant, nunc doctores quidam regnum impietatis et diaboli in dies crescere clamant; ut tunc, etiam nunc, primi effectus maioris culturae sunt, ab una parte impietas stolida et superbia puerilis hominum quorumdam, qui sapientiam suam maledictis et irrisione omnis religionis demonstrandam putent: ab altera parte animus durus et torpida neglegentia plebis hebetis, incertae quid credat; ut tunc Epicurei, nunc ii qui athei appellantur, impietatem iactant; ut tunc religio et ethica excelsa Christiana iam procul dilucescebat, quae toti societati humanae nova fundamenta subiceret, nunc „humanismus" et religio Christiana, nova et multo ampliore specie, dilucescere videtur; ut primum saeculum, etiam nostra aetas modo transitus ad alia tempora videtur.

Nobis iam, sententias primi saeculi indagantibus, imprimis Lucanus se offert, quod non poema philosophicum, ut Lucretius e. g., scripsit, ex quo tantummodo praecepta

---

1) Cf. „Sittengeschichte Roms, von August bis zum Ausgang der Antonine." III. pg. 479 sq.

2) Cf. ibid. pg. 499.

alicuius scholae efficere liceret, sed carmen historicum, ut iam supra dictum, sententias aequalium ostendens: Lucanus enim, quamquam scholis philosophorum et rhetorum eruditus, ut omnes iuvenes nobili loco nati, tamen ipse philosophus non erat, sed modo „paulo infirmior, unus multorum", ut Horatius dixit. Conemur igitur, „confusione, colligatione, permixtione" versuum Lucani et aliorum scriptorum, efficere quantum religio et philosophia in Pharsalia valuerit, quaestionibus ethicis tamen omissis [1]).

---

1) Hac dissertatione iam scripta, duo libelli, fere de eodem argumento, nobis in manus pervenerunt. Perspicuitatis causa eorum conclusiones in fine huius libelli commemorabimus.

CAPUT I.

Quid Lucanus de deis senserit.

Sententia poetae non statim elucet. — Quas partes agant dei. — Dei in rerum natura dominantur. — Dei res humanas gubernant. — Dei praesentes dicuntur. — Dei saepissime invocantur. — Quales sint dei: hominibus saevi atque irati. — Num poeta de potentia deorum dubitet. — Uno loco poeta deos esse negat. — Unde poetae ira in deos orta esse videatur. — Num poeta providentiae credat. — Num ira poetae in deos explicari possit. — Sintne dei Pharsaliae dei vulgares. — Quare poeta deos Olympicos non adhibuerit. — Num dei Pharsaliae sint dei Epicurei. — Num dei Pharsaliae cum philosophia Stoica conveniant. — Vestigia doctrinae Stoicae. — Num doctrina Stoicorum cum odio in deos congruat. — Conclusio: quae sententia poetae sit. — Quomodo Lucanus fabulas inserat. — Quomodo poeta deos abrogatos compenset.

Sententia poetae non statim elucet.

Alicui Pharsaliam legenti, ut Lucani de deis, de fato, de rerum humanarum administratione sententiam indaget atque investiget, prima lectio sine dubio maximam confusionem turbationemque afferet, neque primo aspectu, quid revera poeta his de rebus senserit, elucebit. In vicem dei, inevitabile fatum, caeca fortuna mundum resque humanas gubernare atque regnare videntur, neque iisdem de rebus semper idem sentire videtur poeta; quae confusio ut tollatur non fieri potest, nisi lector semper recordetur, Lucanum fuisse poetam, non philosophum, neque philosophiae enchiridion, sed poema scripsisse, rationem autem severae philosophiae non semper cum postulatis artis poeticae congruere.

Quas partes agant dei.

Videamus primum quas partes dei in Pharsalia agere, et quam vim in vita hominum quotidiana habere vide-

antur. Deinde autem, quales illi dei sint, quaeramus. Statim summas difficultates movet poetae inconstantia, ut ita dicamus: modo dei omnia valent, modo nihil possunt; modo dei homines curant atque diligunt, modo delectantur eorum calamitatibus, et in eos saeviunt! Quae discrepantia, aliqua ex parte quidem, tollitur, distinguendo verba ipsius poetae ab iis, quae personae cuipiam adscribuntur. Nam etsi poeta, admodum rhetor, sub aliena persona, plerumque ipse loquitur, tamen saepius homines, suas ipsorum sententias praedicantes, inducit, nec Lucanus tam ineptus esse videtur, ut homini e. g. exsecrabili Pothino suas ipsius opiniones attribuat. In universum, Pompeius, Cato, aliique ab eorum partibus stantes, (quas, ut satis notum, Lucanus vehementer amplexus est) quasi poetae ore loqui videntur, studet autem aliquomodo orationes ab adversariis habitas Caesari et Caesarianis accommodare, sed non aegre ferendum, si hoc ingenio tam fervido et rhetorico parum successit. Hinc igitur saepius confusio atque discrepantia oritur, cuius ratio in singulis disceptandis haberi debet.

Est opinio vulgaris Lucanum deos omnino e medio sustulisse; et profecto in Pharsalia dei, quales apud Homerum et Vergilium depinguntur, ipsi in scaenam prodeuntes, cum hominibus agentes et loquentes, saepius inter se rixantes, non comparent; quin ne Olympicum quidem deum, perpaucis locis exceptis, de quibus paullo post, poeta alloquitur aut inducit. Nihilo minus sexcentiens in Pharsalia de deis, de superis, de numinibus sermo est: non modo dei in rerum natura dominantur, sed omnibus rebus humanis se immiscent, hominibus consulunt aut invident, saepissimeque ab iis invocantur.

Dei mundum creavisse videntur, nam a militibus Catonis plaga Libyae calcatur: Dei in rerum natura dominantur.

. . . . „quam nullam superi mortalibus ultra
a medio fecere die" [1])

1) Phars. IX: 605—6.

Caesare Italiam invadente:

. . . . „Seu sponte deum, seu turbidus Auster
impulerat, maestam tenuerunt nubila lucem." [1])

Olympus autem „nubes excedit lege deum." [2])

De causa disserens, qua Belgica modo a fluctibus obruatur, modo destituatur, dicit poeta:

. . . . „at mihi semper
tu, quaecumque moves tam crebros causa meatus, ut superi voluere, late". [3])

Dei res humanas gubernant.

Sed etiam in rebus humanis dei multum valent, homines certe persuasum habent omnia eorum nutu fieri. Pompeius imprimis, homo pius at miser, deorum potentiae et iustitiae credit, nam ante pugnam Pharsalicam initam, milites sic alloquitur:

. . . . „medio posuit deus omnia campo,
causa iubet melior superos sperare secundos" [4])

et iam antea, Brundisium recedens, gavisus erat quod, prior iniuria affectus, deorum favore innocentior sit quam Caesar; nam:

„di melius, belli tulimus quod damna priores." [5])

Pompeium foede occisum atque inhumatum, sic pathetice alloquitur poeta:

„forsitan aut sulco sterili cum poscere finem
a superis, aut Roma volet feralibus Austris
ignibus aut nimiis, aut terrae tecta moventi,
consilio iussuque deum transibis in urbem,
Magne, tuam." [6])

Dei res humanas regunt, nam dies quidam superis placuit [7]), alibique:

. . . . „Latium sic scindere corpus
dis placitum" [8]).

Vulteius, milites adhortans, minime de deis dubitat; nam:

---

1) Phars. I: 234—5.
2) Phars. II: 271—2.
3) „ I: 417—19.
4) „ VII: 348—9.
5) „ II: 537.
6) „ VIII: 846—50.
7) „ VII: 339.
8) „ X: 416.

„nos in conspicua sociis hostique carina
constituere dei". [1])

Lentulus consul autem, in Epiro cum Senatu agens, affirmat „superos totis viribus orbis Hesperiam pensare" sive compensare. [2])

Pompeius dolens, quod Caesar bellum civile moveat, sua victoria fretus, exclamat:

„te quoque si superi titulis accedere nostris
iusserunt, valet in torquendo dextera pilo." [3])

Ipse Pothinus, nefarius Pompeii caedis suasor, Achillam adhortans, ut etiam Caesarem iugulet, auxilium deorum sperat; nam his verbis eum admonet:

„Tu parce morari:
Plenum epulis madidumque mero Venerique paratum
Invenies: aude: superi tot vota Catonum
Brutorumque tibi tribuent." [4])

Quae verba, in ore Pothini parum probabilia, satis demonstrant, Lucanum saepe, alio loquente, suam ipsius sententiam proferre.

Quin dei fere personales inducuntur: „parque suum videre dei." [5])

Dei praesentes dicuntur.

Saepius autem praesentia potentiaque deorum in Pharsalia affirmatur. Ipse poeta, militibus Caesaris foede a Petreio interfectis, sic illum ducem alloquitur:

„tu Caesar, quamvis spoliatus milite multo,
agnoscis superos." [6])

Pompeio autem haec verba tribuit:

„accipe numen,
si quod adhuc mecum es." [7])

Idem Pompeius, auxilium Parthorum desiderans, dicit: [8])
„fata movent Medos, multumque in gente deorum est."

Etiam Caesar deos esse persuasum habet, nam exclamat:

---

1) Phars. IV : 492.
2) Phars. V : 37.
3) „ II : 555 sq.
4) „ X : 396 sq.
5) „ VI : 3.
6) „ IV : 254 sq.
7) „ VIII : 142.
8) „ VIII : 308.

„haud unquam vidi tam magna daturos
tam prope me superos." [1])

Dei saepissime invocantur.

Dicet fortasse aliquis, ex verbis Caesaris aut Pompeii, sententiam Lucani non satis apparere; quid autem, si ipse poeta saepissime deos invocat, et precatur? Num deos allocutus esset, quos esse negaret? Curione a Iuba fugato, poeta exclamat:

„Romanam, Superi, Libyca tellure ruinam
Pompeio prodesse nefas votisque senatus:
Africa nos potius vincat sibi." [2])

Et alibi, militibus Pompeii ante Pharsalicam pugnam magno tumultu proelium poscentibus, summo maerore rogat deos: [3])

„hoc placet, O Superi, cum vobis vertere cuncta
propositum, nostris erroribus addere crimen?
cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma."

iterumque, consilio ab Aegyptiis Pompeii interficiendi capto, indignabundus quaerit:

„O Superi, Nilusne et barbara Memphis
et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
hos animos?" [4])

Illae preces igitur nonnunquam fere imprecationes videntur. Sed vis eius exclamationis non nimis urgenda: est saepius ornamentum rhetoricum.

In toto carmine fere nihil ullius momenti accidit, quin homines deos testentur atque eorum auxilium implorent. Post cladem Pharsalicam Pompeius, deos precatus:

„Parcite, ait, Superi, cunctas prosternere gentes." [5])

Brutus autem, Catonem de bello gerendo consulens, deis supplicat, ne „feralibus armis liceat etiam Catonem innocentem bello implicuisse." [6])

---

1) Phars. VII: 298 sq. 2) Phars. IV: 791 sq.
3) „ VII: 58.
4) „ VIII: 542 sq. cf. etiam I: 36, V: 297, VII: 869, VII: 38, VIII: 739.
5) Phars. VII: 659. 6) Phars. II: 260 sq.

Pompeius iterum sic implorat:

. . . . „procul hunc arcete furorem
O superi, motura Dahas ut clade Getasque
securo me, Roma cadat." . . . . [1])

Et homines, in periculo versantes, aut aliquid desiderantes sive e more et consuetudine, sive pietate, semper deos invocant et imprecantur [2]); persuasum igitur habere videntur, eos omnia posse et pollere. Sed statim animadvertendum, deos perraro preces audire videri: semel tantummodo dei vota Caesaris, eaque iniqua, votis Pompeii anteponunt [3]); Cornelia autem quodammodo dubitare videtur, num a deis audiatur [4]), Caesar contra diserte affirmat, „sua vota deis secundis caruisse" [5]). Notandum est, quam magni cum Caesar tum Pompeius Corneliaque favorem auxiliumque faciant deorum. Cornelia post mariti mortem, acerrime se ipsam accusat, quod sit causa omnium calamitatum, et „cunctos fugaverit a causa meliore deos" [6]). Uterque dux autem identidem suam causam esse iustam testatur [7]) putatque numina sibi imprimis favere. Quin Caesar credit, „non sibi numina, sed se ipsum deis deesse." [8]) Milites autem eum ex itinere in Italiam periculosissimo redeuntem, rogant, num eo modo favore deorum uti velit [9]), et Pompeius, Romam allocutus, exclamat:

. . . . „quid enim tibi laetius unquam
praestiterint superi, quam si civilia Partho
milite bella geras." [10]) . . . .

His locis omnibus perspectis, plane apparet, deos, non

---

1) Phars. II : 295.
2) Cf. Ph. II : 47, II : 57, VII : 311, VIII : 860, IX : 848, VIII : 846, V : 695, VIII : 728, IX : 860.
3) Phars. VII : 113. 4) Phars. V : 779.
5) „ IX : 1098. 6) „ VIII : 93.
7) „ VII : 349 cf. V : 351. 8) Phars. V : 499.
9) „ V : 698 cf. verba Caesaris VII : 311 et V : 536.
10) „ VIII : 323.

modo e sententia poetae ipsius, sed etiam Caesaris, Pompeii aliorumque, negotiis omnibus humanis interesse, eosque omnibus in rebus invocari atque implorari. Sine dubio igitur poeta deos esse agnoscit.

Quales sint dei: hominibus saevi atque irati.

Nunc autem quaeramus, quae natura et quae proprietates iis deis esse videantur.

Pharsaliam legenti sine dubio cuique statim in oculos incurret, quam vehementer et furiose poeta noster in deos invehatur atque saeviat. Omnibus criminibus deos onerat neque lassatur eos incusare odioque persequi; neque apud ullum auctorem Latinum invenietur tam acer impetus, tam vehemens exsecratio et contemptus deorum atque apud Lucanum. Nunc quidem, inquit, Roma misera est, sed:

„felix Roma quidem civesque habitura beatos,
si libertatis superis tam cura placeret,
quam vindicta placet" . . . .[1])

Quibus verbis nihil clarius ostendere potest, quam homines illius temporis persuasum habeant deos Romanis infensos esse et adversari; quin clarissimus rerum scriptor, dicimus Tacitum, haud ita multis annis post, fere iisdem verbis in Historiis I : 3 utitur: „Nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est, non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem." Quod est argumentum firmum, Lucanum opinionem vulgarem expressisse.

Hominem probum, Catonem, non dubitat deis praeponere, nam:

„victrix causa deis placuit, sed victa Catoni" [2])

Ille ipse Cato, vir tam religiosus et sanctus, cum se purgat, quod in bello civili alterutrius partibus faveat, culpam omnem in deos confert:

„crimen erit Superis, et me fecisse nocentem" [3])

Dei omnes illas calamitates constituerunt, ut Figulo

---

1) Phars. IV : 807. 2) Phars. I : 128.
3) „ II : 288.

videtur, „cui deos secretaque coeli nosse cura fuit" qui triste, stellis consultis, exclamat: „quod cladis genus, O Superi, qua peste paratis saevitiam." [1])

Et poeta numen Delphicum cur mala futura aperire timeat, rogat:

. . . . „an nondum numina tantum
decrevere nefas?" . . . . [2])

Et ne miserorum quidem miserentur:

„Servat multos Fortuna nocentes,
et tantum miseris irasci numina possunt." [3])

Quamdiu Pompeius felix erat, a nullo deorum turbabatur, sed simulac miser factus est, non dubitarunt eum pessum dare, iisque placet Romanorum „erroribus addere crimen." [4])

Consulto extremum remedium hominibus non aperiunt,

„victurosque dei celant, ut vivere durent,
felix esse mori" . . . . [5])

Dei etiam maxime delectantur homines ominibus terrere, quam ob rem summo dolore quaerit poeta:

. . . . „Cur hanc tibi rector Olympi
sollicitis visum mortalibus addere curam,
noscant venturas ut dira per omina clades?" [6])

Triste Figulus augur rogat:

. . . . „et superos quid prodest poscere finem." [7])

Alibi dixit poeta deos, hominibus surdos, carmina impia magarum statim audire [8]). Quid mirum igitur, si deos saevos [9]) vocat, et inmites et adversos et minaces, si identidem de eorum ira atque invidia [10]) agit, si

. . . . „viri

---

1) Phars. I: 649.
2) Phars. V: 203—4.
3) „ III: 448—9.
4) „ VIII: 706, VII: 59.
5) „ IV: 519.
6) „ II: 4—6, cf. I: 523.
7) „ I: 669, finem sc. belli.
8) „ VI: 443 sq., IV: 387, VI: 527.
9) „ II: 44, III: 742, VII: 725, II: 304, VI: 314, III: 36.
10) „ IX: 65, I: 617, II: 85, III: 448, III: 439, II: 1.

effundunt iustas in numina saeva querelas." [1])
et saepius convicia in deos ingerunt [2]). Quin Pompeium hominem tam religiosum morientem „faciem deis iratam" habuisse, fatentur qui lacerum videre caput.

Saxa ipsa, quae Pompeii corpus tegunt, sunt „plena crimine deum", [3]) Pompeiusque Lesbum rediens, „crimen deum crudele notavit" [4]), Ptolemaeus autem, saevus et nefarius rex Aegypti, est „pudor crimenque deorum" [5]).

Caedem Pompeii poeta, graviter commotus, appellat „victoribus ipsis dedecus, et nunquam superum carituram pudore fabulam." [6])

Pudor deorum! Quid acerbius dici potest?

Non modo Romani intellegunt ante bellum civile initum, quas calamitates dei in animo habeant [7]) sed ipse Pompeius „dolos deorum" sentit [8]). Quin semel poeta acerrime deos accusat quod beneficia erga Pompeium non servent, promissisque stent, neque ignavos Roma fugientes sistant; summoque contemptu exclamat:

„O faciles dare summa deos, eademque tueri
difficiles." [9])

Dei igitur nocentes et damnandi sunt, sed nonnunquam homines, vicibus mutatis, iis ignoscunt.

Caesar, caput Pompeii decisum intuens, multa questus, affirmat;

„fecissem ut victus posses ignoscere divis." [10])

Caesari aliquamdiu dei obstant, deinde magis solito favent,

„et veniam meruere dei" . . . . [11])

---

1) Phars. II : 44. 2) Phars. VII : 725, IX : 186.
3) „ VIII : 800. 4) „ VIII : 55.
5) „ V : 59. cf. VIII : 597. 6) Phars. VIII : 605.
7) „ II : 18. 8) Phars. VII : 86.
9) „ I : 510. 10) „ IX : 1103.
11) „ IV : 123. Est etiam locus mirus, ubi de venia deorum agitur, sc. II : 91. Karthago Mariusque, uterque victus, alter alterum

Dei igitur, e sententia certe poetae, homines vehementer oderunt, eorum miseria cuius ipsi auctores sunt, delectantur, sunt duri et dolosi, saevi et invidi, et tam ira infensus est poeta, ut nullam aliam deorum proprietatem nisi animum inimicum commemoret. Imprimis notandum est, fere omnes illos locos, supra de deorum odio allatos, verba ipsius poetae, non alicuius personae carminis, continere.

Num poeta de potentia deorum dubitet.

At nonnunquam Annaeus non modo deis irascitur, sed etiam eorum potentiam in dubitationem vocare videtur, sed hac in re quidem causa cognita, reus innocens e periculo evadet. Nam ubicunque illius dubitationis aliquomodo ratio reddi potest.

Milites Caesaris enim seditiosi et bello lassi sic ducem, qui semper se delicias esse deorum et fortunae iactat, alloquuntur:

. . . . „licet omne deorum
obsequium speres, irato milite, Caesar,
pax erit." [1])

Hoc loco autem milites, non Lucanus verba facit, neque aequum erat eum in ius vocare, propter milites, qui putant ne deos quidem sine militibus posse bellum gerere.

Nec quisquam, nec Pompeius nec Lucanus, impietatis accusandus est, quod deo potestatem praeteriti mutandi abiudicat, quae sententia sic exprimitur a Pompeio: „Sum tamen, O Superi, felix, nullique potestas hoc auferre deo." [2])

---

consolantur: „pariterque iacentes ignovere deis." Mirum esset, si haec e Velleio Paterculo (II: 19) non sumpta essent, qui scripserat: „Cum Marius aspiciens Karthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solacio."

1) Phars. V: 293.

2) Phars. VIII: 630. Plane convenit hic locus cum Plinii Maioris verbis: „Imperfectae vero in homine naturae praecipua solatia, ne deum quidem posse omnia — namque nec sibi potest mortem consciscere.... nec facere ut qui vixit, non vixerit, qui honores gessit non gesserit — nullumque habere in praeterita ius, praeterquam oblivionis" etc. Nat. Hist. II: 7, 27.

Alibi [1]) poeta dicit reges vetuisse deos loqui, oraculo Delphico prohibito ne futura aperiret. Sed non reicit deorum potestatem suam voluntatem communicandi, reges modo sacerdotes vetare possunt loqui. Ipse Cato, homo sanctus, de deis dubitare videtur, nam bellum civile deplorans, sic optat ut ipse, quasi alter Decius, culpam populorum redimere possit:

„O utinam coeli deisque Erebique liceret
hoc caput in cunctas damnatum exponere poenas." [2])

Deis igitur aliquid non licet? Num hoc convenit cum verbis eiusdem hominis: „nil agimus nisi sponte dei". Sunt qui, hac difficultate permoti, putent illum dativum „deis" pendere e vocabulo damnatum; [3]) ne Cato erga deos, ipsi in linguam Latinam peccant! — Quid autem, si legimus „liberet"? Tum omnia recte se habent, salva pietate et grammatica!

Alibi rursus, tam persuasum est poetae, mala vitae humanae esse necessaria, ut roget quis deorum, morte excepta, quietem et beatitudinem hominibus praestare possit [4]). At illa longa digressio, ubi Sextus Pompeius sagam Thessalam de futuris consulit, omnino a re aliena est, modo ad lectorem delectandum inserta et mirificis referta, quibus constat poetam ipsum nullam fidem adhibuisse. Contendimus igitur, hic Lucani sententiam omnino non apparere, omnesque eos deos, a saga incantatos et parere coactos, modo hac occasione a poeta creatos atque inductos esse, ut narrationem de magis atque artibus magicis oculis subiciat et mirabilem reddat. [5])

Ex his omnibus locis igitur, nobis quidem poeta potentiam deorum in dubitationem vocasse non videtur.

Uno loco poeta deos esse negat.

At uno loco, eoque maxime conclamato, poeta secum in animo reputans, quas diras calamitates, quam servi-

---

1) Phars. V: 113. 2) Phars. II: 306.
3) Cf. edit. Haskins pg. 54. 4) Phars. V: 229—30.
5) Cf. Ph. V: 440. „ibi plurima surgunt vim factura deis."
Cf. Phars. VI: 492—99, 606, 685, 446.

tutem intolerabilem pugna Pharsalica, Pompeio fugato, Romanis attulerit, tandem summa desperatione atque summo furore exclamat:

. . . . . „Sunt nobis nulla profecto
numina: cum caeco rapiantur saecula casu,
mentimur regnare Iovem. Spectabit ab alto
aethere Thessalicas, teneat cum fulmina, caedes?
. . . . . Mortalia nulli
sunt curata deo." [1])

Num unquam quisquam poeta, etiam recentiorum temporum, vehementius aut acerbius, verbis magis atrocibus aut diris, significavit, se de deis, de providentia, de tota mundi administratione dubitare? Nonne etiam inviti, hominis miseremur, eo desperationis rerum omnium adducti, ut de cunctis dubitet?

Unde poetae ira in deos orta esse videatur.

Sed unde illa ira, unde illa impietas? Num revera poeta deos regnare negat? Ad haec expedienda primo pauca e vita Lucani repetenda sunt. Ut satis notum e commentariis de vita poetae, Lucanus iuvenis in locum amicorum a Nerone assumptus, non diu in gratia permansit, nam Imperator, sive eius lingua libera laesus, sive gloriae poeticae invidens, Lucano declamationibus publicis interdixit, aliisque modis eum sibi infensissimum reddidit. Tribus libris Pharsaliae iam scriptis, alios post illud discidium perfecisse videtur. Quid mirum igitur, si antiquam rempublicam liberam vehementer desiderat, si Caesarem ut tyrannum et libertatis inimicissimum odio prosequitur, Pompeium autem, ut Senatus reipublicaeque liberae propugnatorem summis laudibus effert? Hoc loco disserere non licet, num poeta idque summa iniuria putaverit, principatum imperatorum, non per se inevitabilem, sed modo e victoria Caesaris ortum esse, num revera, non antiquam libertatem, sed Senatus sive optimatium dominationem desideraverit: sed fortasse alibi locus erit his de rebus disserendi.

---

1) Phars. VII: 445—448, 454—5.

Perraro homines sua ipsorum tempora eventusque suae aetatis revera cognoscere et penitus perspicere possunt; ita non aegre ferendum, quod Romani primi et secundi saeculi p. C. n., parum intellegentes mores hominum ipsorum statumque rerum omnino mutatum esse, semper opinabantur cum libertate recuperata etiam felicitatem antiquorum temporum redituram esse, quasi libertas omissa esset sola causa omnium calamitatum.

Si autem constat, poetam arbitratum esse, victoriam Pompeii maxime e republica futuram fuisse, deos tamen, dedita opera, tyranni imperio populum Romanum prostravisse, non mirandum est quod acerbe superos omnis malignitatis odiique in Romanos accusat, quod deos hominibus infensissimos informat.

Sed contra optime nobis fingere possumus, aliquem tristitia et dolore rerum Romanarum commotum, omnesque calamitates miseriamque intuentem, quas clades Pharsalica Romae attulerit, tandem furibundum exclamare: „Minime fieri potest, ut dei revera sint, isti qui tam crudelia et immania in homines innocentes permittant, aut ipsi efficiant!" Nonnunquam accidit ut etiam aliquis nostrum, qui Christiani dicamur, malis et ictibus fortunae adversae ad summam desperationem adductus, incredulus a se ipso quaerat, num revera esse possit providentia, quae talia fieri patiatur. Illi versus graves igitur, summam animi perturbationem tristitiamque significantes hominis desperati atque demissi plane „hominem sonant."

Sed admodum dubitamus, num ex eo uno loco efficere liceat, Lucanum prorsus negare deos esse et regnare.

Fortasse iudex severus de tali inconstantia indignabitur, sed in mentem revocet, Lucanum esse poetam, non philosophum, ut iam antea dictum, ad poetae autem sententiam saepe animi affectionem habitumque permultum valere, ita ut modo hoc, modo aliud sentiat. Sunt tamen aliquot loci, ubi poeta alicui providentiae credere videtur; sed singulos inspiciamus.

Aliquot versibus pulcherrimis, verae humanitatis refertis, Pompeium Pharsaliâ fugatum consolans diserte eum adhortatur, ut providentiae, omnia bene vertenti, fidat. Num poeta providentiae credat.

„Quidquid in ignotis solus regionibus exsul,
quidquid sub Phario positus patiere tyranno,
crede deis, longo fatorum crede favori,
vincere peius erat. prohibe lamenta sonare,
flere veta populos, lacrimas luctusque remitte." [1])

Putat igitur deos Pompeium defendere, sed haudquaquam affirmat eos curare omnes homines, quae est vera providentia.

De saga Thessala autem, multa mira neque venusta disserens, dicit eius verba cogentia ad numen invitum penetrare, „quod non cura poli caelique volubilis unquam avocat." [2]) Deis igitur curam coeli tribuit: sed statim addit preces pessimarum sagarum eos avocare! Bene curatis, dei!

Miserabili fuga Pompeii ex Italia narrata, nonnullis pulcherrimis versibus asseverat poeta, deos non odio in Pompeium, sed Italiae misericordia commotos, statuisse ut procul a patria, in terris remotis homo tam religiosus sepeliretur, ne Italia scilicet eius sanguine macularetur. Tristis providentia, profecto! Sed est providentia. Magis autem hoc loco poeta in animo habet significare aerumnas Pompeii et miserationem lectoris commovere, quam deorum curam in luce collocare. [3])

Nonnullis aliis locis et Caesar et Cicero castra sua deis cordi esse affirmant, Caesar nempe exclamat:

„Sunt ista profecto
curae castra deis, qui me committere tantis
non nisi mutato voluerunt milite bellis." [4])

et ante Pharsaliam deos sic invocat:

---

1) Phars. VII: 703—7.
2) Phars. VI: 447, avocat, nempe a Thessalis.
3) „ Lib. II sub fin.
4) „ V: 351.

„Di, quorum curas abduxit ab aethere tellus,
Romanusque labor." [1])

Ciceronem autem Pompeio his verbis suadentem ut pugnam committat, inducit, quamquam ex eius epistulis satis constat hoc plane a veritate abhorrere: „De superis, ingrate, times? causamque senatus credere dis dubitas?" [2])

Sed his locis verba tam arcte cum rerum nexu cohaerent, tam manifestum est ea verba esse „argumentum ad hominem", ut aiunt, animis militum aut Pompeii accommodata, ut hic quidem sententiae Caesaris et Ciceronis, non poetae ipsius expositae videantur, neque ex his certe concludere liceat poetam providentiae credere; putat quidem deos esse resque humanas regere, sed hominibus infensissimos, non igitur providentes eos sibi informat.

Num Lucani ira in deos explicari possit.

Forsitan alicui mirabile videbitur, quod quisquam deis saevis et iratis credere iisque mundi administrationem attribuere possit. Religio Christiana enim notione Dei omnes amantis, omnibus consulentis, cuncta providentis, tam imbuta est, ut nobis quidem Deus invidus atque malignus revera „contradictio in terminis" esse videatur. Sed qui miratur, modo in memoriam revocet illos homines austeros, qui putent se esse revera pios Christianos, at multo magis delectari videantur poena aeterna exponenda, qua Deus eos, qui peccaverint, affecturus sit, quam amore et clementia Dei praedicanda. Non magis quam Lucanus hi miseri Deum sibi informare possunt, qui homines ut pater diligit [3]), qui mavult ignoscere quam punire, sed imprimis talibus versibus partim e Vetere Foedere sumptis nituntur: „Ego Deus tuus Deus fortis zelotes sum, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes abnepotesque" [4]) et acerbe rogant: „quomodo effugere possitis condemnationem gehennae?" [5]) et impri-

---

1) Phars. VII: 311. 2) Phars. VII: 76—7.
3) Cf. 2 Thess. 1: 9. 4) Exodus 20: 5 et alibi.
5) Math. 23: 33.

mis iis in deliciis sunt: „qui poenam pendent aeterni exitii" [1]) „qui abibunt ad aeternum supplicium" [2]) aut „tenentur aeterno iudicio" [3]).

Nil mirum igitur, si Lucanus paganus (ut illi omnes, qui a se dissentiant, appellant,) qui ante religionem Christianam propagatam, ideam tam sublimem, tam excelsam Dei amantis nondum ante oculos habere poterat (ut homines pii nostrae aetatis), statum rerum et miseriam sui temporis contemplans, eo irae atque tristitiae adductus est, ut deos crudeles et iniustos esse asseveraverit. Quin ea ira ipsa quodam modo, quamquam fortasse paradoxum videbitur, pietatem Lucani demonstrat. Ex ea ira enim satis apparet, eum deos iustos et clementes desiderare. Nemo saevitiam tigris aut alius ferae reprehendat, quod nihil aliud in tigri exspectatur. At quisque regi irascetur, potestate suâ ad bene regendum datâ male abutenti, quod iure probitas iustitiaque ab eo postulatur.

Sic etiam poeta deis non exprobravisset, quod non interveniant probisque auxilio sint, si putasset eos ex ipsorum natura saevos et crudeles esse. Ex toto carmine autem desiderium quoddam repressum resonat numinis iusti et benevoli.

Sintne dei Pharsaliae dei vulgares.

Dei Pharsaliae iam, suntne dei vulgares, qualibus multitudo credere solebat? An dei e philosophia Epicurea aut Stoica, utraque eo tempore Romae florente, petiti?

Ex locis supra allatis vidimus poetam nostrum saepissime de deis, de numinibus agere, permulta iis attribuere, saepe eos invocare; at nunquam dei ipsi in scaenam prodeunt, nunquam ullus deus Olympicus nominatim allatus rebus humanis intervenit. At fortasse quispiam dicet, complures Olympicorum apud Lucanum commemorari, Venerem, Plutonem, Phoebum, Pallada, Hecaten, Erinyasque; quin etiam Patriam ut deam inducit! Sed locos ipsos inspiciamus, et videamus quo modo

---

1) 2 Thess. 1 : 9. 2) Math. 25 : 46. 3) Marc. 3 : 29.

et quo consilio poeta eos adhibeat. Consilio habito post Pharsalicam pugnam victaque Pompeii sententia Pompeiani Aegyptum petere constituunt:

„Tum Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
inmisere rates, nullas cui praetulit aras
undae diva memor Paphiae, si numina nasci
credimus aut quemquam fas est coepisse deorum". [1])

Ecce dea una omnium potentissima, in transitu commemorata! Et eodem versu, quo Venerem affert, dubitat poeta, num revera eo modo sit nata, quo fabula tradat! Nihil de eius pulchritudine et venustate, nihil de eius imperio omnium hominum! Homerus multis versibus depingit ut cum Marte cubuerit, ut Alexandrum pelliciat, qui ipse vidit:

„θεᾶς περικαλλέα δειρήν
στήθεά θ' ἱμερόεντα καὶ ὄμματά μαρμαίροντα." [2])

Omnes homines voluptate et desiderio afficit, iam eius cingulum est praepotens:

„ἔνθα τέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο
ἔνθ' ἐνὶ μεν Φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστύς
πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων." [3])

et ipsa consulto ad Olympum it:

„κούρῃσ' αἰτήσουσα τέλος θαλεροῖο γάμοιο." [4])

Apud Vergilium autem, „lacrimis oculos suffusa nitentes", patrem suum Iovem precatur, semperque deliciis suis Aeneae magnopere favet, et:

. . . . „media se obtulit obvia silva
virginis os habitumque gerens et virginis arma." [5])

filiumque suum Cupidinem ut Aeneae amorem incendat mittit.

Apud Lucanum autem omnino nihil de hac allegoria Graeca, tam vivida ac poetica: nihil nisi perfrigida mentio „Veneris, memoris undae Paphiae, si quidem ullam fidem fabulis tam anilibus habere debemus!" Si

---

1) Phars. VIII : 456 sq. 2) Ilias III : 396. 3) Il. 14 : 215 sq.
4) Odyss. 20 : 74. 5) Aen. I : 314 sq.

tamen deae personali, ut aiunt, et potenti credidisset, ut vulgus credebat, num modo uno loco, idque obiter, Venerem commemorasset?

At de hoc loco imprimis „ex ungue leonem" dicere possumus: nam alii dei Olympici non pulchrius discedunt!

Alibi enim matrona furibunda et attonita in scaenam prodit: [1])

„vocibus his prodens urgentem pectora Phoebum:
quo feror, o Paean: qua me super aethera raptam
constituis terra!"

Phoebus autem surdus videtur, nec matronam aliquo responso dignatur, ut sine dubio matronae Homericae gratificatus esset, sed „matrona haec ait, et lasso iacuit defecta furore", et cum matrona tum Phoebo desertis, liber subito explicit! Quamquam Phoebus invocatur, poeta non edocet quae sit Phoebi potentia neque quo modo illam feminam inspiraverit: deus tantummodo mera vox videtur, ad rem amplificandam, non ut quidquam efficiat, adhibitus.

Etiam alio loco Phoebum commemorat, quo imprimis perspicuum est, quantum noster dignitati potentiaeque deorum Olympicorum deroget. Primo tanquam heros ex aliqua fabula inducitur; nam:

„Ultor ibi expulsae premeret cum viscera partus
matris adhuc rudibus Paean Pythona sagittis
explicuit, cum regna Themis tripodasque teneret." [2])

Iuvenis strenuus et impiger fuisse videtur, Pythone enim vix interfecto,

„ut vidit Paean vastos telluris hiatus
divinam spirare fidem, ventosque loquaces
exhalare solum, sacris se condidit antris
incubuitque adyto, vates ibi factus Apollo." [3])

Num origo oraculi Delphici causaque potentiae fatidicae magis frigide et ieiune tradi potest? Sed quae sequuntur, illum miserum iuvenem paene ridiculum reddunt! Satis

---

1) Phars. I: 677. 2) Phars. V: 79 sq. 3) Phars. V: 83 sq.

evidens enim est, poetam ipsum non magnam fidem illi Paeani habere; nam postquam affirmavit Apollinem adyto incubuisse vatemque ibi factum esse, statim, quasi sibi dixisset: „iam satis de his anilibus", quaerit: sed quis reverâ, ludo amoto, latet hic superum?

. . . . „quod numen ab aethere pressum,
dignatur caecas inclusum habitare cavernas?
quis terram coeli patitur deus", etc. [1]).

Nonne satis apparet hunc Apollinem miserum, non modo toto coelo distare ab Apolline Homeri et Vergilii, sed etiam ipso coelo pulsum esse?

Porro etiam Pallada bis commemorat, sed ne haec quidem est dea efficax, quae, ut apud Homerum, cuiquam dicere auderet: „ἔγω τέ τοι αἰεί ἐν πάντεσσι πόνοισι παρίσταμαι ἠδὲ φυλάσσω", [2]) neque ullus homo in Pharsalia eius auxilium flocci faceret! Caesar tantummodo, Troiam antiquitatis causa adiens votaque solvens, eam invocat:

„di cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas
. . . . nullique adspecta virorum
Pallas". . . . [3])

Caesari igitur Minerva se non obtulit, ut olim Achilli et Ulixi, sed modo simul cum deis cinerum Troiae commemoratur. Nonne profecto haec Pallas est quasi cinis illius Minervae bellicosae et efficacis, qualis apud Homerum incedit?

De palude quadam autem dicit poeta:

„hanc, ut fama, deus. . . .
hanc et Pallas amat, patris quae vertice nata
terrarum primam Libyen . . . . tetigit." [4])

O misera Pallas, quippe quae non amplius heroas ut Achillem et Ulixem diligis, proeliisque te misces sed — paludem amas!

Maga Thessala deos inferos invocat, Eumenides, Persephonen Hecatenque: sed his deis tritis et vulgaribus

---

1) Phars. V : 86.
2) Odyss. 13 : 300.
3) „ IX : 990 sq.
4) Phars. IX : 348 sq.

subito admiscet notionem philosophicam: „Chaos, innumeros avidum confundere mundos" [1])! Ne hi quidem Erichthonem audire aut curare videntur, sed tota narratio friget, et magis ad infantes terrendos quam ad fidem Tartari inspirandam apta! At totus ille excursus, quo saga Thessala Sexto Pompeio operam ad rerum cursum praedicendum navat, modo ornamenti causa narrationi insertus esse videtur.

Etiam Erinyes aliquotiens in transitu commemorantur [2]), sed ita, ut parum probabile sit eas quemquam terruisse. Semel de deis Olympicis cunctis agere videtur, sed quisque, eis versibus perlectis, exclamabit „risum teneatis, amici!" Massilienses enim Caesarem bellum civile moventem, suis moenibus recipere aut ullo modo adiuvare recusant, nam malunt a neutris partibus stare, nec se peregrinos immiscere rebus Romanorum, quasi divinis, quod sic excusant: . . . . „Si caelicolis furor arma dedisset, aut si terrigenae temptarent astra Gigantes, non tamen auderet pietas humana vel armis vel votis prodesse Iovi: sortisque deorum ignarum mortale genus, per fulmina tantum sciret adhuc coelo solum regnare Tonantem." [3]) Nonne haec imago hominum paventium coelumque speculantium, ut e fulmine cognoscant, num Iuppiter deos vicerit, paene risum movet? Nonne totum Olympum in obscoenos risus deflectit poeta?

Ubiubi igitur Lucanus deorum vulgarium nominatim mentionem facit, semper (Iove solo excepto, de quo paullo post) eos aut in transitu, aut quasi iocans commemorat: nihil minus divinum quam illi dei! Nullarum rerum procurationem habent, quamvis invocati nihil efficiunt, neque in bonam, neque in malam partem: non amplius sunt numina, sed mera nomina!

Neque quidquam commune habent cum „superis", et „numinibus", saepissime commemoratis.

---

1) Phars. VI: 695. 2) Phars. II: 80, VII: 168, X: 337.
3) „ III: 315 sq.

Quare poeta deos Olympicos non adhibuerit.

Sed cur tandem deos Olympicos omni potentia abiudicata, nonnumquam adhibuit poeta? Omnia carmina, ab Ennio usque ad Lucanum scripta, deis fabulosis referta sunt, quin in carminibus epicis, ut in Aeneide, primas partes agunt. Hac in re autem ille iuvenis vix viginti annorum valde admirandus est, quod non dubitans recedere a ratione poesis epicae tradita, qua Homerus et Vergilius gloriam aeternam adepti erant, audacter novum genus poesis pangere ausus sit. Deos quidem saepissime inducit, sed „quantum mutatos ab illis" ab Homero et Vergilio celebratis! Illi apud Maeoniden suo interventu homines curant, et dirigunt, ipsi tantum non affectibus humanis praediti; conloquunter cum hominibus, inter se rixantur et conviciantur, mortalibus auxilium laturi arma induunt, se invicem fallunt, victimis conciliantur, iniurias ulciscuntur, itinera faciunt, domos habitant, epulis delectantur, — quid multa? Omnino „hominem sonant" et mortalibus plane similes sunt.

Nec bonus et pius Vergilius aliter deos vulgares sibi fingere poterat, quamquam admodum dubitamus, num revera Iunonem Aeolum adiisse atque precatam esse, Venerem filio se obtulisse, Iovem filiam osculatum et consolatum esse crediderit! At mos erat in carminibus epicis deos intervenientes inducere — ergo inducit. Sed haec omnia temporibus antiquissimis, ubi de incunabulis generis humani agitur, satis placent, temporibus excultis quodammodo artificiosa videntur. Poeta noster autem plus sapiebat meliusque iudicium habebat quam ut ministeria talium deorum adhiberet. Primo enim iis deis fidem non adhibebat, secundo autem intellegebat perridiculum futurum esse Iunone, Minervâ aliisque deis inductis, si cum avis suorum aequalium loquerentur! Deos heroibus fabulosis auxilium ferre, se miscere rebus ante multa saecula aut in terris longe remotis gestis aut naturam humanam excedentibus, haec omnia vulgus delectant, et certe aliquomodo verisimilia videri possunt. Sic apud Valerium Flaccum interventus deorum, aliqua

ex parte potest condonari, quod Argonantica est fabula, e temporibus mythicis sumpta. Sed aliter res se habet, cum aliqui heros est avus meus, si locus, ubi illa mirifica geri dicuntur, quotidie a me spectatur, si optime scio omnes eas res omnino non deis auctoribus, sed e causis humanis, prorsus ut etiam hodie quotidie fiant, gestas esse. Num ullus Romanus credidisset, deam Discordiam ex inferis descendisse seque in Capitolio collocasse, ut avum suum ad bellum civile adhortaretur? Num verisimile visum fuisset, Caesarem, ut alterum Achillem, matrem Venerem adiisse, auxilium contra Pompeium precantem? Num fortitudo Vulteii et Scaevae magis mirabilis esset, si poeta asseveravisset, Martem reapse eorum figuras induisse?

Sine dubio tales fabellae non modo taedium, sed etiam risum lecturis movissent. Quam ridiculus e. g. ille longus sermo Hannibalis et Martis apud Silium Italicum (in Punicis) videtur, post pugnam Cannensem factam, quid sit faciendum, deliberantium. Macte virtute, Lucane, quod tam aniles et ineptas fabulas effugeris!

Summo iure deis, non coelo et aethere, sed aqua et igni interdixisti!

Nihilo minus poeta noster non prorsus de via trita recedere potuit, quin nonnumquam, e consuetudine poetica, quasi ad carmen ornandum, deos Olympicos afferat. Et statim in mentem venit ille clarissimus locus Lucretii, Venerem Matrem invocantis.[1]) Quis autem magis deis omnem mundi curam abiudicat quam Lucretius? At non dubitavit deos vulgares ad poema amplificandum commemorare.

Quid autem ipse Lucanus senserit, luce clarius ex hoc uno versu dubitationis pleno apparet:

„Si qua fidem meruit superos mirata vetustas"[2])

Deis Olympicis igitur, qui in Pharsalia commemorantur, descriptis, constat Lucanum iis deis vulgaribus fidem non adhibuisse.

---

1) Lib I. s. init. 2) Phars. III : 406.

Sed ét homo mortalis ét carmen epicum aliquam vim divinam res humanas regentem desiderat: cum temporibus etiam moribus et opinionibus mutatis, Romani exculti et eruditi primi saeculi p. C. n. non amplius deos vulgares, sed novam philosophiam colebant. Sic etiam in Pharsalia numen divinum omnia gubernans, est notio philosophica, nempe Fatum sive Fortuna, de quibus plura in capitibus sequentibus.

Deis vulgaribus autem reiectis, videamus, num dei in Pharsalia commemorati ex aliqua philosophia petiti sint.

Num dei Pharsaliae sint dei Epicurei?

Ut iam supra dictum, omnibusque notum, Lucani temporibus imprimis duae philosophorum scholae Romae florebant, nempe Epicureorum et Stoicorum. Sunt qui, parum diligenter iudicio adhibito, putent, mirabile dictu, nostrum, tam acerbe in deos invehentem, sine dubio castra Epicuri petiisse [1]), et cum ipsi intellegant, satis mirabile videri si Lucanus, filius fratris Senecae, clarissimi philosophi Stoici, et Cornuti Stoici discipulus, philosophiam Epicuream complexus esset, primo contendunt deos Pharsalicos omnino repugnare a doctrina Stoicorum, deinde ipsum Senecam saepius cum Epicuro convenire. Non est nostri propositi vestigia philosophiae Epicureae apud Senecam indagare, haec tamen dicamus: saepius, cum quadam admiratione Epicuro commemorato, Seneca dicta Epicuri de rebus ethicis affert [2]) sed diserte negat se eam ob rem Epicureis adnumerandum esse [3]). Sed, ne aberremus a proposito, Epicurus deos res hu-

---

1) Cf. Boissier: La Religion Romaine.

2) Cf. Seneca: de Vita Beata. 13. 1. Epist. 21 : 9.

3) Cf. Sen. Epist. 8 : 6 „potest fieri, ut me interroges quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam, potius quam nostrorum? Quid est tamen quare tu istas Epicuri voces putes esse, non publicas?" iterumque quibusdam plane cum Epicuro congruentibus allatis, addit: „Nolo illas Epicuri esse existimes: publicae sunt, et maxime nostrae." cf. Epist. 33 : 1. cf. F. Ogereau: Système Philos. des Stoïciens pg. 291.

humanas curare, omnino negat. Lucretius enim, doctrinam Epicuri exponens, dixit:

„omnis enim per se divom natura necessest
immortali aevo summa cum pace fruatur
semota ab nostris rebus seiunctaque longe" [1])

alibique agit de iis:

„bene qui didicere deos securum agere aevom." [2])

Dei igitur, omnibus curis soluti et beati habitant in intermundiis, [3]) neque ab hominibus metuuntur: „nam non metuimus eos, quos intellegimus nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quaerere: et pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem" inquit Velleius Epicureus, apud Ciceronem [4]). At contra „quis non timeat omnia providentem atque cogitantem, et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum!" [5]) Deus tamen venerandus „propter maiestatem eius eximiam, singularemque naturam." Paullo ante de deis dixerat Velleius: „vere exposita illa sententia est ab Epicuro: quod beatum aeternumque sit, id nec habere negotii quicquam, nec exhibere alteri: itaque neque ira neque gratia teneri, quod, quae talia essent, imbecilla essent omnia." [6]) Ex his et permultis locis apparet Lucretium et Epicureos minus deos ipsos quam religionem impugnare.

Nonne autem haec omnia cum informatione deorum Pharsaliae pugnant? Quid his deis Epicureis, beatis et otiosis, qui neque hominibus provident neque molestiam afferunt, quid commune cum deis Lucani invidis, omnibus rebus se miscentibus, qui homines oderunt iisque odio sunt? Modo uno loco aliqua verba in Pharsalia inveniuntur, quae aliquomodo in sententiam Epicuream detorqueri possint. Caesar apud milites sedi-

---

1) Lucret. II: 646 sq. 2) Lucret. VI: 58.
3) Lucret. III: 18, V: 146. Cic. de N. D. I: 19: 51.
4) Cic. de N. D. I: 20: 56. 5) Cic. de N. D. I: 20: 54.
6) „ de N. D. I: 18: 45.

tiosos concionans, affirmat sibi eorum auxilio omnino non opus esse; nam non magis quam mare siccaretur, si flumina ei aquas subducerent, suam causam eorum defectione detrimentum capturam esse. Ne milites arbitrarentur, deos fortunam prosperam aut adversam hominum tam humilium curare.

. . . . „An vos momenta putatis
ulla dedisse mihi? Numquam sic cura deorum
se premit ut vestrae morti vestraeque saluti
fata vacent." [1])

Sed statim sententiam addit Caesar, quam etiam hodie multi optimates sequi et laudare videntur:

. . . . „procerum motus haec cuncta sequuntur:
humanum paucis vivit genus" . . . .[2])

Dei igitur non hominibus infimis certe, sed magnis ducibus consulunt! At dei Epicurei in intermundiis habitantes ne hos quidem curant: dei Epicurei igitur hoc loco non designantur. Sine ulla dubitatione igitur affirmare audemus, Lucanum in Pharsalia non sibi deos, quales Epicurus aut Lucretius depingit, informare.

Num Dei Pharsaliae cum philosophia Stoica conveniant.

Videamus iam, num forsitan illi dei cum Stoicorum doctrina congruant. Iam a priori satis probabile videtur, poetam nostrum, cuius patruus Seneca Philosophus, magister Cornutus Stoicus fuerit, castra Stoicorum petivisse, sed praestat in poemate ipso vestigia eius philosophiae scrutari. „Quid?" exclamabit fortasse aliquis, „Num quidquam dei Lucani paene personales commune habent cum deo Stoicorum, toti naturae infuso, cum mundi anima, mente universa, principio et ratione omnia movente, ut dicunt Stoici?" [3]) At ut iam ante dictum poeta noster non in animo habebat, philosophicam doctrinam exponere et illustrare, ut Lucretius, qui optime

---

1) Phars. V : 339.

2) Phars. V : 342 „vivit paucis" significat „in paucorum commodum."

3) Cf. pg. 35.

meruit de schola Epicurea: tantummodo deos atque res divinas commemorat, ut ei aequalibusque videntur, nulla quaestione de eorum natura instituta.

Constat autem Stoicos Romanos, et imprimis Senecam, summo opere conatos esse, placita philosophiae conciliare cum religione vulgari. Verba et appellationes vulgaris superstitionis adoptando, specie philosophia Stoica, a quo magnum intererat ne vulgus abalienaretur, cum illa consentire videbatur, revera toto coelo distabat. Ipse Seneca, qui deum animum mundi esse credit, modo de deis, modo de deo agit, sed maximum discrimen inter eos facit, nam putat „Deum eos genuisse regni sui ministros." [1])

Sic iam Valerius Soranus, poeta Stoicus, Sulla dictatore, deum his verbis alloquitur:

„Iuppiter omnipotens, rerum rex, ipse deusque,
progenitor genetrixque, deum Deus unus et omnes." [2])

Et apud Servium [3]) poeta Stoicus ignotus, Iovem alios deos inducit alloquentem:

„Coelicolae, mea membra, deis quos nostra potestas
officiis divisa facit." . . . .

Quibus verbis nihil apertius sententiam Stoicam de Deo deisque illustrare potest. Seneca igitur, cum de deis agit, verba vulgari religioni accommodans, revera proprietates, sive partes illius omnipotentis Dei, qui pater et creator omnium appellatur, significat, quod totidem verbis Aurelius Cotta sic dicit, Stoicos compellans: „illud profecto confitemini, longe aliter se rem habere

---

1) Cf. Sen. frgt. 16 edit. Haase: „Deus cum prima fundamenta molis pulcherrimae iaceret et hoc ordiretur quo neque maius quidquam novit natura, nec melius, ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui genuit." Cf. frgt. 26: „Non intellegis auctoritatem ac maiestatem iudicis tui, rectoris orbis terrarum coelique et deorum omnium dei, a quo ista numina, quae singula adoramus et colimus, suspensa sunt."

2) Cf. August. 7 : 9. 3) Serv. ad Aen. 4 : 638.

atque hominum opinio sit: eos enim, qui di appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum." [1]) Si autem ipse Seneca saepissime de deis, qui fere convenire cum deis personalibus videntur, non tantummodo de Deo unico loquitur, non potest argumento esse, Lucanum non Stoicum agere, quod semper deos, superos, numina, plurali numero igitur, commemoret, nulla autem forma aut corpore iis attributo. Sic ille adversarius noster fictus hac de re refutetur!

Vestigia doctrinae Stoicae

Sed Lucanus saepius illum Iovem Stoicorum, omnipotentem, omnium creatorem, plane Stoice affert: uno loco enim fere eadem verba ac patruus adhibet:

„nunc quoque tanta maris moles crevisset in astra
ni superum rector pressisset nubibus undas." [2])

Sed etiam alibi Iovem mundi creatorem vocat:

„Sive parens rerum, cum primum informia regna
materiemque rudem, flamma cedente, recepit,
fixit in aeternum causas, qua cuncta coercet." [3])

Quod prorsus cum doctrina Stoica de mundi origine congruit [4]). Seneca autem Iovem appellat: „omnium conditorem ac rectorem." [5]) Et alio loco Iovem sic invocat:

„Saeve parens, utrasque simul partesque ducesque
dum nondum meruere, feri." [6])

Hic Iuppiter certe est Iuppiter Stoicorum, sed nonnumquam etiam ille antiquus Iuppiter Olympicus in scaenam prodit! Itinere enim Catonis per Libyae deserta narrato, templum Iovis Ammonis describit [7]), sed statim quodammodo hunc Iovem, ut alios Olympicos, in dubitationem vocat, nam verbis „stat sortifer istic Iuppiter," statim addit: „ut memorant;" ipse igitur nescit! Sed totus

---

1) Cic. de N. D. III : 24 : 63.
2) Phars. V : 625—6 cf. Seneca frg. 26. 3) Phars. II : 6 sq.
4) Zeller: „Die Philosophie der Griechen" III. pg. 149 sq.
5) Sen. Dial. I : 5 : 8. 6) Phars. II : 59.
7) Phars. IX : 511 sq.

locus modo inseritur, ut Cato occasionem habeat ad illud clarissimum responsum Labieno dandum, de quo paullo post.

Imprimis notandum est, ut se invito Stoicum agat, nam cum dolore et desperatione commotus totam providentiam negat, exclamat:

„Mentimur Iovem regnare." [1])

Sed aliud etiam dogma Stoicis peculiare apud Lucanum pronuntiatur. Discipuli Zenonis enim putant aliquando eos deos, Iovis ministros, cum conflagratione totius mundi perituros, Iovem solum immortalem esse: etiam hac in re igitur modo verbis, non revera cum religione vulgari consentiunt. [2]) Lucanus autem bis de morte deorum agit. Nam illa nocte qua Caesar, summo periculo solus, parvo navigio Italiam ex Epiro petiit,

„rupisse videntur
concordes elementa moras, rursusque redire
nox manes mixtura deis." [3])

Alibi autem Pluto afflictatus dicitur, quod dei nondum moriantur:

„et rector terrae, quem longa in saecula torquet
mors dilata deum." [4])

Si autem constat tantummodo Stoicos deos mortales informare, (ut ex eorum physica sequatur etiam necesse est,) perspicuum est nostrum, his locis quidem, Stoissare.

Quo modo autem ille locus ubi deos esse omnino negat, accipiendus videatur, supra iam diximus.

Quamquam Stoici modo unum deum esse credebant, toto mundo omnibusque eius partibus infusum, tamen, ut magis cum religione vulgari consentire viderentur,

---

1) Phars. VII: 447.

2) De hoc dogmate cf. Chrysippum (apd. Plut. de Stoic. Rep. 38: 5) qui asseverat Solem et lunam et ceteros deos, et natos et perituros esse, Iovem vero aeternum esse, cf. Philo. Aetern. m. c. 9. Orig. c. Cels. IV: 68. Plut. def. orac. 19. cf. Zeller III. pg. 154.

3) Phars. V: 634 sq. cf. Sen. Herc. Oet. 1119: „omnes pariter deos perdet mors aliqua et chaos." 4) Ph. VI: 697 sq.

„quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant, tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua sic appellatur, ut ea ipsa nominetur deus, ut Fides, ut Mens. . . . Earum omnium rerum quia vis inerat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit." [1]) Etiam apud Lucanum talis dea Stoicorum, ex ideis assumpta, adhibetur. Nam Pompeianis et Caesarianis inter se amicitiam conciliantibus, quo facto postea Petreii iussu illa miserrima clades edita est, poeta versibus sonoris Concordiam invocat:

„Nunc ades, aeterno complectens omnia nexu
O rerum mixtique salus, Concordia, mundi
et sacer orbis amor" [2])

Et est valde notandum ut poeta huic deae, notioni philosophicae, multo maiorem vim et potentiam attribuat quam Veneri aut Minervae, obiter, ut supra demonstravimus, et ieiune commemoratis, quod rursus argumento est, poetam multo maiorem fidem deis Stoicis, quam Olympicis habere.

Etiam aliam deam in Pharsalia, ipsam loquentem mortalemque adhortantem, indicare debemus. Caesar enim ad Rubiconem pervenit, sed etiam tum Italiae limitem transgredi dubitat, cum:

„Ingens visa duci Patriae trepidantis imago
clara per obscuram voltu maestissima noctem
turrigero canos effundens vertice crines
caesarie lacera, nudisque adstare lacertis,
et gemitu permixta loqui: quo tenditis ultra?
quo fertis mea signa, viri? Si iure venitis
si cives huc usque licet." [3])

Sed Patria non est dea e religione vulgari nec e philosophia nota, quin etiam contendere possimus, eam omnino non ut deam, sed ut feminam Caesari apparere. Utut res se habet, haec imago, ex imaginatione fervida Lu-

---

1) Cic. de N. D. 23 : 60—61. 2) Ph. IV : 189 sq.
3) Phars I : 186 sq.

cani ad vim conscientiae illustrandam nata, tantummodo est ornamentum et inventio poetica, neque ullam lucem ad Lucani sententiam de deis affert.

Sed sunt alia vestigia philosophiae Stoicae multo magis manifesta, quae demonstrant poetam illum Iovem tam saepe commemoratum, sibi ut Deum universum Stoicorum informasse. Primo autem quam brevissime poterimus, doctrinam Stoicam de natura Dei exponamus, ut sententia Lucani dilucida fiat.

Stoici iam, ut plerisque notum, omnia corporalia habebant, duo autem principia esse constituebant, alterum activum, quod aliquid efficit, τὸ ποιοῦν, id est animus divinus omnia penetrans, alterum passivum, τὸ πάσχον, quod materia vocatur [1]). Etiam Deum aliquid corporale habebant, ut Seneca his verbis expressit: „Quid est deus? Mens universa. Quid est deus? quod vides totum et quod non vides." [2]) Totam naturam igitur Deum habebant, Zeno enim „aethera deum dicit; aliis autem libris rationem quandam, per omnem naturam rerum pertinentem, vi divina esse putat. . . . Cleanthes autem tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen, tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat." [3]) Seneca autem, Dei naturam exponens, dicit: „Vis illum Iovem vocare mundum? non falleris. Ipse enim est, totum quod vides,

---

1) Diog. 7:134: („φασὶν) ἀρχάς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον."
Cf. Sext. 3:38 σῶμα τοίνυν λέγουσί τινες ὁ οἷόν τε ποιεῖν ἢ πάσχειν.
Cf. Plut. Pl. Ph. 4:20 πᾶν τὸ δρῶμενον ἢ καὶ ποιοῦν σῶμα.
Cf. Seneca Epist. 65:2: dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: causam et materiam; materia iacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo movet; causa autem, id est ratio, materiam format et quocunque vult, versat." Cf. Zeller. III pg. 116 sq.

2) Sen. Nat. Qu: I prol. 12. 3) Cic. de N. D. I:14:36—37.

totus suis partibus inditus, et se sustinens vi sua. Vis illum naturam vocare? Non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu vivimus." [1])

Et statim in mentem veniunt illi versus Vergilii, ubi Anchises in inferis descendenti filio, secreta naturae aperiens, eandem doctrinam profitetur. [2])

His igitur praemissis, verba poetae nostri hac de re inspiciamus. De origine oraculi Delphici disserens, bella fabella de Apolline narrata, quaerit quod numen in illis cavernis, unde exhalationes fatidicae Pythiam inspirent, habitet:

„quis terram caeli patitur deus, omnia cursus
aeterni secreta tenens, mundique futuri
conscius, ac populis sese proferre paratus
contactusque ferens hominum magnusque potensque
sive canit fatum, seu quod iubet ille canendo
fit fatum? forsan terris inserta regendis
aere libratum vacuo quae sustinet orbem
totius pars magna Iovis Cirrhaea per antra
exit et aetherio trahitur conexa Tonanti." [3])

Quis non videt hanc „partem Iovis, insertam terris, quae sustinet orbem" esse definitionem notionis Stoicae philosophiae, nempe animae mundi?

Hoc loco igitur certe sententia Stoica prolata, alibi etiam apertius hanc doctrinam profitetur. Poeta enim Catonem toto carmine maximis laudibus ad coelum sublatum, (quo homine nullum nobiliorem et praestan-

---

1) Sen. N. Q. II : 45 : 2.

2) Malumus verba ipsa afferre, ut statim in oculos cadant cf. Vergil. Aen. VI : 724—34

Principio coelum ac terras camposque liquentes
lucentemque globum lunae Titaniaque astra
spiritus intus alit, totamque infusa per artus
mens agitat molem, et magno se corpore miscet etc.

Etiam aliquot versus in Georgicis IV : 219—227 ad hanc doctrinam respiciunt. Cf. Sen. Epist 113 : 22. Arat. Phaenom s. init.

3) Phars V : 88.

tiorem sibi fingere potest, ita ut etiam multi putaverint eum revera primas partes in Pharsalia agere,) inducit quasi confessionem Stoicam profitentem, quibus versibus nulli sunt nobiliores et clariores, nulli pulchriores in omnibus litteris Latinis. Deserta Africae transgressus, atque iter faciens ad Iubam, Cato venit ad templum Iovis Hammonis clarissimum, Labienoque suadenti, ut oraculum de eventu belli consuleret, sic respondit:

„quid quaeri, Labiene, iubes? . . . .
haeremus cuncti Superis, temploque tacente
nil agimus nisi sponte dei: nec vocibus ullis
numen eget: dixitque semel nascentibus auctor
quidquid scire licet: steriles nec legit harenas
ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum
estque dei sedes, ubi terra et pontus et aer
et caelum et virtus. Superos quid quaerimus ultra?
Iuppiter est quodcumque vides quodcumque
moveris." [1])

Dicet fortasse aliquis his e verbis, quae fundamenta et principia Stoicae de Deo doctrinae continent, certe Catonis sententiam apparere, non tamen Lucani ipsius. Si tamen constat poetam per totum carmen illum Catonem ut exemplum hominis sapientis et nobilis, honesti et probi depingere, sequitur ut a Catone discrepare et dissentire ei fere turpe visum sit iisque versibus modo allatis etiam sententia ipsius poetae exponatur.

Num doctrina Stoica cum odio in deos congruat.

Omnibus igitur nos adducentibus, ut persuasum habeamus Lucanum Stoicum agere, quaeramus quomodo hoc congruat cum odio et ira in deos, cum imprimis Seneca eius patruus, semper et ubique mansuetudinem et clementiam deorum praedicet. Invehitur ille in eos, qui deum timent; „deos nemo sanus timet; furor est enim metuere salutaria, nec quisquam amat quos timet. [2])

---

1) Phars IX: 566—584. Nonne haec fere eadem ac Senecae verba, supra allata, sunt? cf. pg. 35.

2) Seneca Benef. IV: 19: 1.

Alibi quaerit: „quae causa est dis benefaciendi? Natura. Errat, si quis illos putet nocere nolle. Non possunt." [1])

Et in universum deus, quem Seneca informat, omnes homines diligens omnibusque favens, plane convenit cum nobilissima et excelsa imagine Dei, quam religio Christiana commendat, et satis probabile esse videtur, Stoicos illis notionibus excelsis, philosophia ipsa a vulgo non comprehensa, multum ad religionem Christianam propagandam valuisse. Sed non hic est locus, hanc quaestionem enucleare.

Quid igitur? Lucanus in deos furens num plane abhorret a doctrina Stoica? Aliquam difficultatem haec res quidem movere potest: semper autem recordandum est, nos minime affirmavisse, nostrum esse philosophum Stoicum, sed poetam doctrina Zenonis tinctum. In omnibus religionibus autem, imprimis in religione Romanorum, timor quidam deorum quasi inustus videtur. Inde tantopere a malis ominibus cavent, inde, deos appellantes, diversis nominibus invocant, ne fortasse deum laedant!

Neque Homerus sibi deos homines diligentes informasse videtur, nusquam amorem dei in homines affert, sed nulla ratione ingenii aut morum habita, nonnulli mortales deliciae deorum quorumdam sunt. Homines autem deos metuunt, et saepius conviciantur, nulla vituperatione eius impietatis a poeta addita. Menelaos, e. g. exclamat

„Ζεῦ πάτερ, οὔ τις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος." [2])

Asius autem eheu! Jovem mendacem esse incusat:

Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά νυ καὶ σὺ φιλοψευδὴς ἐτέτυξο." [3])

Philoitios in universum deos crudeles esse dicit, sic in Odyssea Eumaium allocutus:

ἀλλὰ θεοὶ δυόωσι πολυπλάγκτους ἀνθρώπους
ὁππότε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσωνται ὀιζύν."

et postea ad Ulyssem conversus:

---

1) Seneca: Epist. 95 : 49. 2) Ilias 3 : 365.
3) Ilias 12 : 164.

Ζεῦ πάτερ . . .
οὐκ ἐλεαίρεις ἄνδρας, ἐπὴν δὴ γείνεαι αὐτὸς
μισγέμεναι κακότητι καὶ ἄλγεσι λευγαλέοισιν." [1])

Iam apud Homerum igitur haec notio Graecorum et Romanorum in medium profertur deos timendos esse, quod homines laedere possunt.

Etiam Lucano deis e philosophia informatis, haec notio animo obversari videtur. Cum placido et aequo animo res gestas secum reputat, semper Stoicum agit: sed cum subit tristis imago antiquae libertatis amissae, et memoria omnium calamitatum, quibus post Pharsalicam pugnam Romani affecti sunt, tum ira acerba omnem philosophiam superat atque fugat, neque poeta se compescere potest, quin in deos culpam conferat illius cladis: etiam in eo valet illud: „naturam furca expellas, tamen usque recurret." Hac in re igitur imprimis ratio est habenda indolis poetae, fervidae et vehementis, qui ab imperatore laesus, principatum exsecretur atque nonnumquam in deos, ut causam miseriae, invehatur.

Conclusio: quae sententia poetae sit.

Omnibus igitur perspectis, Lucanus nobis videtur, deis vulgaribus sive Olympicis reiectis, numina, qualia Stoici sibi informabant, in animo habuisse, non tamen doctrina Stoica tam imbutus fuisse, quin saepius, et necessitate quadam poetica, et suo dolore de libera republica amissa commotus, deos magis personales eosque saevos et hominibus infensissimos fingeret. Quos deos tamen, quamquam magna potentia praeditos, Lucanus non ipsos intervenientes, non ut causam omnia moventem depingit.

Alio capite alia vestigia philosophiae Zenonis significare in animo est: haec hactenus de deis!

Quomodo Lucanus fabulas inserat.

Liceat autem hoc loco pauca de fabulis in Pharsalia insertis disserere. Saepius poeta aliquam fabulam antiquam in narrationem intexit ad lectorem delectandum, sed simul eum commonere videtur ne credat, nam modo

---

1) Odyss. 20 : 195—9 et 202—3.

„fama est" haec omnia facta esse! Sic de Peneo dicit:

„hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem" [1]

ipse igitur nescit! Etiam alibi, [2] egressione de palude Tritonide facta, satis aperte dubitationem ostendit, nam novem versibus bis illud diffidens „fama est" adhibet, idque (horribile dictu!) de amore deae! Neque magis ei crimen Medeae constare videtur, nam:

. . . . . „Sic barbara Colchis
creditur ultorem metuens" etc. [3]

Aliis fabulis, certamine Antaei et Herculis, [4] origine Thebanorum [5], bello Gigantum [6] narratis, statim totam rem in dubiationem vocat, cuius rei insigne exemplum est narratio Medusae occisae. Primo dixit:

„Cur Libycus tantis exundet pestibus aer
fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti
miscuerit natura solo, non cura laborque
noster scire valet! nisi quod vulgata per orbem
fabula pro vera decepit saecula causa." [7]

Tum procedit causam exponere, nempe venenum stillans e capite Medusae a Perseo occisae. Sed quid me iuvat scire eam causam, si modo est „fabula vulgata, quae „saecula decepit"?

Et alibi, traditione antiqua non maiore honore affecta, muro immenso atque inaudito Caesaris circum castra Pompeii descripto, triumphans exclamat:

„nunc vetus Iliacos adtollat fabula muros
adscribatque deis: fragili circumdata testa
moenia mirentur refugi Babylonia Parthi." [8]

Quid censuerit de caerimoniis et sacris antiquis luce clarius ex ipsius verbis efficere possumus. Galeis et scutis militum Catonis, iter facientium per deserta Africae, subito a magno vento ereptis et per inania coeli latis,

---

1) Phars. VI : 378.
2) Phars. IX : 348 sq.
3) „ X : 464.
4) „ IV : 590—655.
5) „ IV : 449 sq.
6) „ VII : 145.
7) „ IX : 619 sq.
8) „ VI : 48 sq.

poeta pernovam sententiam de ancilibus Romanis in medium profert:

„Illud in externa forsan longeque remota
prodigium tellure fuit: delapsusque coelo
arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
a superis demissa putant. Sic illa profecto
sacrifico cecidere Numae, quae lecta inventus
patricia cervice movet: spoliaverat Auster
aut Boreas populos ancilia nostra ferentes." [1])

Haud scimus an revera iocetur poeta, sed satis liquet, origine ancilium Numae sic narrata, eum non magnam fidem fabulis habere, non magis quam deis antiquis et vulgaribus. Quare igitur tales fabulas et deos fabulosos commemorat? Ipse his verbis respondit:

„Invidus annoso qui famam derogat aevo,
qui vates ad vera vocat" [2])

Ecce vera opinio nostri poetae! Non semper necesse est meram veritatem tradere, iuvat nonnumquam etiam ficta referre! Quae causa est cur poeta, quamquam ipse incredulus, tamen saepius tales fabulas de deis in rerum gestarum historiam intexat.

Quomodo poeta deos abrogatos compenset.

Etiam operae pretium est animadvertere, quomodo poeta eos deos epicos abrogatos compensare studuerit. Sine dubio unumquemque Pharsaliam attente perlegentem, pertaesum est illius exaggerationis atque nimiae exuberantiae, quae permultis locis Lucanum foedent. Sunt qui putent hoc imprimis eius ingenio ardenti et Hispaniensi esse tribuendum; nobis autem poetae illis narrationibus mirificis et exaggeratis opus fuisse videtur ad deos mirabilia facientes compensandos. Imprimis duae longae digressiones statim in mentem veniunt, libro quinto de oraculo Delphico, libro sexto de artibus magicis sagae cuiusdam Erichthonis. Ille Appius autem, qui oraculum Delphicum sciscitatur, postea in rebus gerendis

---

1) Phars. IX: 473—480. 2) Phars. IX: 359—60.

nullas partes agit [1]), ita ut manifestum sit totam illam narrationem, non quod res se obferat, sed sine ulla necessitate insertam esse. Lector autem Romanus, rebus mirificis intentus, et miraculorum avidus, summam voluptatem et delectationem e pavida simulatione, deinde e divina mentis incitatione et vaticinatione Sibyllae, ex diris mysteriis Erichthonis et resuscitato cadavere percipiebat, quae omnia nobis nimis artificiosa nec satis verisimilia videntur. Et in locum Martis, aut fluminum apud Homerum cum hominibus pugnantium, substituit homines miracula fortitudinis perficientes, ut Vulteium et Scaevam et illos Massilienses, quos poeta fere ludicro modo morientes depingit. [2])

Eodem consilio, ut rebus mirificis lectorem delectaret, eas fabulas modo commemoratas, de Medusa, de certamine Antaei et Herculis aliasque induxisse videtur. Quod etiam argumento esse potest poetam ipsum intellexisse illud novum poesis genus historicum quodam modo frigidum et nudum fieri, si nihil nisi res gestas caneret.

Neque poetae facile erat, deis ab antiquis poetis traditis, ipsis intervenientibus, omniaque agentibus, expulsis, in rebus exponendis causam cuncta moventem designare.

Quam rem quo modo Lucanus expediat, capitibus sequentibus indagabimus.

---

1) Erat consul anno 54 et Pharsalico bello Achaiae praecerat cf. Val. Max. I : 8 : 10.

2) De Vulteio cf. IV : 474—579; de Scaeva cf. VI : 140—262; de Massiliensibus cf. III : 567—751.

CAPUT II.

Quid Lucanus de fato senserit.

Poemati opus est aliqua vis dominans. — Deis reiectis fatum dominatur in Pharsalia. — Variae sententia antiquorum de mundi administratione. — Lucanus quoque dubitare videtur. — Aliquot loci scriptorum antiquorum, de fato agentes. — Vis fati in Pharsalia. — Fatum, ut numen cogitans, in scaenam prodit. — Fatum amore et odio affectum. — Fatum invocatur et imploratur. — Poeta a notione fati philosophica recedit. — Fatum non tam dramatice adhibitum ac in fabulis poetarum. — Fatum saepe in Pharsalia rerum cursum significat. — Fatone liberum arbitrium tollatur. — Quid Lucanus de libertate morali senserit. — Estne fatum inmutabile. — Fatum morari et retineri. — Quomodo fatum a deis pendeat. — Sententia Homeri. — Fatum idem ac sors. — Fatum significare videtur casum. — Fatum pro morte. — Aliae significationes fati. — Fatum quasi tactui subiectum. — Num fatum praenosci possit. — Conclusio.

Poemati opus est aliqua vis dominans.

Ut unusquisque in vita quotidiana habere aliquid debet, quasi regulam et rectorem, e cuius praeceptis vitae rationem instituat, hic religionem, alius philosophiam aut superstitionem, hic hominem, cui servire studeat, alius studium, quod sectetur, sic etiam in opere poetico necesse est ut dominetur aliquis aut aliquid, quo omnia spectent, cui omnia pareant, per quem aut per quod, omnes res gerantur, sive homo, sive deus, sive notio, personae assimilata. Vidimus supra, capite primo, Lucanum, deis vulgaribus reiectis, deos, quales Stoici sibi informabant, certe induxisse, sed fere nihil efficientes, non primas, ne secundas quidem partes in rebus gerendis agentes, nec poetam multa alia de iis exponere nisi hoc, deos esse infensissimos Romanis. Nihilo minus etiam

Lucano aliquo numine, cuncta ducente omnibusque moderante, opus erat, quod in ius et in crimen vocet, et in quod omnem culpam conferat.

Deis reiectis, fatum dominatur in Pharsalia.

Id numen autem, deorum iacturam compensans, in Pharsalia est fatum et fortuna, quae notiones, plane inter se pugnantes, mire confunduntur; sed de his plura mox.

Variae sententiae antiquorum de mundi administratione.

Unusquisque qui cogitat aenigmata sibi solvere debet, aut certe solvere conari debet, quae vita humana, natura, mundus ab omnibus partibus, et omni vitae momento nobis proponunt.

Iam philosophi antiqui sibi quaestionem proposuerunt quisnam mundum creaverit, quibusnam praeceptis omnia ordinentur, quibus legibus cuncta pareant. Seneca a se quaerit, „quae universi materia sit, quis auctor, quis custos, quid sit Deus, totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid, an semel fecerit, pars mundi sit, an mundus. . . . Nisi ad haec admitterer," inquit, „non fuerat operae pretium nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? An ut cibos et potiones percolarem? . . . . O quam contempta res est homo, nisi supra humana surrexerit! . . . . . Quantum utile existimas ista cognoscere, et rebus terminos ponere, quantum Deus possit, materiam ipse sibi formet, an data utatur? Utrum idea materiae prius superveniat, an materia ideae? Deus quidquid vult, efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant. Haec inspicere, haec discere, his incubare, nonne transilire est mortalitatem suam, et in meliorem transcribi sortem?" [1])

Lucani iam temporibus, primo saeculo post Christum natum, duabus imprimis philosophorum scholis, nempe Stoica et Epicurea, Romae florentibus, homines, qui his rebus studebant, et ii qui eorum sermonem imitabantur, in bina castra dividebantur, quorum opiniones auctor

1) Cf. Seneca: Qu. Nat.: Praef.

praestantissimus sua propria brevitate sic exposuit, loco clarissimo: „Sed mihi haec et talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate inmutabili, an forte volvantur. Quippe sapientissimos veterum, quique sectas eorum aemulantur, diversos reperies ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines dis curae: ideo creberrime tristia in bonos, laeta apud deteriores esse. Contra alii fatum quidem ingruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum." [1])

Et poeta fere aequalis illas duas sententias inter se discrepantes sic expressit:

„Sunt in fortunae qui casibus omnia ponant
et nullo credant mundum rectore moveri
natura volvente vices et lucis et anni,
atque ideo intrepidi quaecumque altaria tangunt.
est alius metuens, ne crimen poena sequatur;
hic putat esse deos et peierat etc. [2])

Lucanus quoque dubitare videtur.

Mirum autem est, ut poeta noster fere ipsis verbis cum Taciti sententia conveniat, qua re nihil evidentius demonstrat, eum opinionibus sui temporis imbutum esse. Nam scientiam futurarum rerum, qua tantae calamitates Romanis portendebantur, exsecratus, sic poeta Iovem allocutus dubitationem suam exprimit:

„Sive parens rerum, cum primum informia regna
materiemque rudem, flamma cedente, recepit
fixit in aeternum causas, qua cuncta coercet
se quoque lege tenens, et saecula iussa ferentem
fatorum inmoto divisit limine mundum:
sive nihil positum est, sed Fors incerta vagatur
fertque refertque vices, et habet mortalia casus:
sit subitum, quodcumque paras. [3])

Et alibi P. Nigidio Figulo, astrologo clarissimo, de prodigiis, quid significarent, consulto, haec verba tribuit:

---

1) Cf. Tacit. Annal. VI: 22. 2) Iuven. Sat. XIII: 86.
3) Phars. II: 7—14.

„aut hic errat, ait, nulla cum lege per aevum
mundus, et incerto discurrunt sidera motu:
aut si fata movent, urbi generique paratur
humano matura lues" . . . .[1])

Sed si quis Pharsaliam perlegerit, non diu dubitabit, utram opinionem Lucanus amplexus sit: nullum vocabulum tam saepe in carmine occurrit, tam saepe in ore habet poeta, ac fatum.

Aliquot loci scriptorum antiquorum de fato agentes.

Sed antequam accuratius inquiramus, quid Lucanus de fato senserit, ut omnia dilucida fiant etiam iis qui huic philosophiae argumento operam non navarint, prius Stoicorum de fato doctrinam quam paucissimis exponamus, non ut nova allaturi, sed tantummodo res notas ordinando atque componendo argumentum nostrum illustraturi. [2])

Stoici iam censebant cuncta legi aeternae parere, omniaque ex antecedentibus necessitate sequi atque fluere, causa causam ex aeternitate serente.

Nihil igitur aliter fieri potest, quam fit, et factum est, omnibus pendentibus e causis, quae invicem ex aliis causis secutae sunt, et sic in aeternum. Hanc necessitatem autem inevitabilem fatum appellant, sic a Seneca definitum: „Quid enim intellegis fatum? Existimo neces-

---

1) Phars. I: 642—45.

2) In hoc dogmate enucleando imprimis hos auctores, operibus Senecae, nonnullis operibus philosophicis Ciceronis, saepiusque philosophis Graecis perlectis et consultis, secuti sumus:

E. Zeller: Die Philosophie der Griechen. III.

F. Ogereau: Essai sur le système philosophique des Stoiciens pg. 51.

O. Heine: Stoicorum de fato doctrina.

M. Stuart: Over het noodlot bij de Ouden. Kon. Nederl. Instit. III. pg. 82.

Le Batteux: Idées des Stoiciens sur la Nature de Dieu et du Destin, in opere „Memoires de l'Academie des Inscript. et Belles Lettres." T. 32. pg. 100.

P. Bayle: Dict. Hist. et Critique. s. v. Chrysippe.

sitatem rerum omnium actionumque, qualem nulla vis rumpat." [1])

Cicero autem etiam accuratius circumscribit: „fatum appello ordinem seriemque causarum, cum causae causa nexa, rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna . . . . Ex quo intellegitur, ut fatum sit, non id quod superstitiose, sed id quod physice dicitur, causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et quae instant, fiant, et quae sequuntur, futura sint. Fieri igitur omnia fato ratio cogit fateri." [2])

Et alibi Seneca affirmat: „qualem dicimus esse seriem causarum, ex quibus nectitur fatum, talem esse cupiditatum: altera ex fine alterius nascitur." [3]) Hanc legem communem et aeternam Stoici iam putabant esse mundi universi principium dirigens (τὸ ἡγεμονικόν), [4]) rationem omnia gubernantem (τὸν λόγον), denique principium omnia efficiens, (τὸ ποιοῦν) quod supra (cf. pg. 35) iam commemoravimus. [5])

Et imprimis in luce ponebant vim fati ineluctabilem omnia secum trahentis, comparatione instituta, cuius vis quotidie etiam apud nos in viis aspici potest: nam dicebant hominem fato parere, ut canem, plaustro alligatum, si sequi velit, et trahi et sequi, sua sponte necessaria facientem, si autem non velit, nihilo minus, etiam invitum, coactum iri. [6]) Quin etiam fatum esse Deum ipsum asseverabant: sed hac de re plura post.

Longius a nostro proposito aberraremus, si indagare conaremur, quantum valuerit haec notio fati apud scrip-

---

1) Sen. Nat. Quaest. 2 : 36. 2) Cic. de Divin. I : 55 : 125.

3) Sen. Epist. 19 : 5 cf. Diog. Laert. VII : 149 „καθ' εἱμαρμένην δέ φασι τὰ πάντα γίνεσθαι: ἔστι δὲ εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἱρομένη, ἢ λόγος, καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται." cf. Gell. Noct. Att. VI : 2.

4) Cf. verba Cleanthis, apud Epictet. Enchir. 52 „Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ Πεπρωμένη, ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος, Ὡς ἕψομαι γ' ἀόκνως: ἢν δὲ μὴ θέλω κακὸς γενόμενος, οὐδέν ἧττον ἕψομαι."

5) Cf. Philod. De Pietat. c. 11. Cic. de Nat. Deor. I : 15 : 39.

6) Cf. Hippol. Philos. Prooem. 21. (Dox. Gr. 571.)

tores Graecos et Latinos, inde ab Aeschylo usque ad Lucanum; satis constat et Aeschylum et Sophoclem summam vim fato attribuisse: quis non statim miseram sortem Oidipodis, nulla culpa sed decreto fati pessumdati, in mentem revocat? Sed saltem aliquot versus Lucani aequalium, ad eius ipsius sententiam de fati omnipotentia illustrandam, afferre liceat.

In traegoedia, quae vulgo Senecae Philosopho ascribitur, chorus haec canens in scaenam prodit:

„Fatis agimur: cedite fatis
non sollicitae possunt curae
mutare rati stamina fusi.

Quidquid patimur mortale genus
quidquid facimus, venit ex alto,
servatque suae decreta colus
Lachesis, dura revoluta manu.

Omnia recto tramite vadunt
primusque dies dedit extremum.
non illa deo vertisse licet
quae nexa suis currunt causis.

It cuique ratus prece non ulla
mobilis ordo.
multis ipsum metuisse nocet
multi ad fatum venere suum,
dum fato timent." [1])

Manilius autem, poeta Stoicus, sic fatum laudat:
„Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
longaque per certos signantur tempora cursus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
hinc et opes et regna fluunt, et saepius orta
paupertas, artesque datae, moresque creatis
et vitia, et clades, damna et compendia rerum.
. . . . Sors est sua cuique ferenda.

1) Cf. Seneca. Oidip. 1000 sq.

Aut, nisi fata darent leges vitaeque necisque
fugissent ignes Aeneam?" etc. [1])

Omnem administrationem mundi, totam rerum procurationem igitur, fato hi poetae tribuunt.

Vis fati in Pharsalia.

Nec minor fati vis apud Lucanum videtur. Iam ineunte carmine, cum causas tantarum rerum expositurus a se quaerit, „quid in arma furentem impulerit populum, quid pacem excusserit orbi," [2]) statim respondet:

„invida fatorum series"; [3])

quod reapse „contradictio in terminis" videtur, nam notio fati est alicuius potestatis caecae atque sensu carentis, quae quomodo tandem „invida" esse potest? Iam hic apparet, ut poeta fatum quasi numen cogitans, affectibus commotum, sibi fingat, et quali vi dramatica fatum in Pharsalia adhibiturus sit: frustra ille optimus et nobilissimus vir Pompeius pro libertate Romana pugnat, frustra Cato, homo sanctus, et optimus quisque extremis viribus rempublicam conservare contendunt: omnia irrita reddit fatum saevum et invidum, omnesque illudit: fato iam diu victoria hominis nefarii, Caesaris, destinata est. Ut apud poetas superiores aliquis deus, sic in Pharsalia fatum homines impellit et cogit, ut aliquid gerant aut subeant. Caesar etiam tunc bellum civile incipere dubitat, sed

Fatum, ut numen cogitans, in scaenam prodit.

„ecce faces belli, dubiaeque in proelia menti
urgentis addunt stimulos, cunctasque pudoris
rumpunt fata moras." [4])

---

1) Manil. Astron. IV 14 sq. Notabile est, ut etiam in Aeneide fatum multum valeat, ut iam primo libro e. g. patet: fuga Aeneae fato tribuitur (vrs 2), Juno tendit ut Carthago caput orbis terrarum fiat, si fata sinant (vrs 18), Troiani multos per annos circum omnia maria errabant, fatis acti (vrs 33), Juno putat se fatis vetari (vrs 39), Aeneas Latium petit, ubi fata quietas sedes ostendunt (vrs 205) et sic porro; cf. vrs 238, 258, 262, 299, 382, 546.

2) Legendum est: „orbe" cf. C. M. Francken Mnem. 1888 pg. 391.

3) Phars I: 70. 4) Phars. I: 262.

Quamquam nulla praesagia defuerant, quae Pompeium dubitantem monerent ne se in Aegyptum conferret, tamen:

„ . . . . fatorum leges intentaque iussu
ordinis aeterni miserae vicinia mortis
damnatum leto trahebant ad litora Magnum." [1])

Achillas Aegyptius paene occidisset Caesarem in summo discrimine versantem in domo Cleopatrae, sed fatum, quasi deus interveniens,

„manus a sanguine Caesaris arcet."

Fatum de rebus humanis deliberare videtur, nam initio carminis, adulatione Neronis vili et abiecta pleno, poeta affirmat se non amplius queri, si fata non aliam viam, quam per bellum civile scilicet, Neroni venturo invenerint [2]); aperte igitur fatum quasi homo aut deus secum animo reputans inducitur. Neque fatum dedignatur uni homini consulere, nam pugnacem Domitium

„clades fata per omnes
ducebant." [3])

Et Pothinus, regi persuadens ut Pompeium, in Aegyptum advenientem, interficiat, his verbis culpam sceleris in fatum confert, Pompeium quasi praesentem allocutus:

„hoc ferrum, quod fata iubent proferre, paravi
non tibi, sed victo." [4])

Eadem fata autem „Emathiam bello parant" [5]), Arabes Medosque sub perpetuis tyrannis tenuerunt. [6])

Quin etiam fatum loquens fingitur, nam Erichtho, illa maga Thessala, precatur:

„Da vocem, qua mecum fata loquantur." [7])

Etiam alibi fata plane ut dei, cum hominibus agentia inducuntur, nam Pythiam, ab Appio consultam, inspirant: „vocemque petentia fata, luctantur." [8])

Et sic per totam Pharsaliam fata agunt atque ducunt,

---

1) Phars. VIII : 568. X : 420.
2) Phars. I : 33.
3) „ VII : 600.
4) „ VIII : 520.
5) „ VI : 332.
6) „ VII : 440.
7) „ VII : 774.
8) „ V : 180.

homines impellunt rebusque consulunt; fata moras dant, [1]) motus parant [2]), homines ad bellum civile trahunt, [3]) in bellum vocant [4]), dant recessum [5]), hominem premunt [6]), res gerendas propius movent, [7]) aliquid parant [8]), Alexandrum urgent [9]): sed plura exempla de fato sic adhibito enumerare omittamus, ne his perlectis lector pertaesus suum ipsius fatum exsecrari incipiat!

Fatum amore et odio affectum.

Nil mirandum igitur si poeta tale fatum, fere ut numen inductum, etiam amore aut odio affectum sibi informat; et statim in oculos incurrit, ut studium suum Pompeii et Senatus ostendat, omnibus cladibus fato attributis. Iam primo capite vidimus, Lucanum deos Stoicos quod ad physicam attinet, sibi fingere, sed procul a sententia Senecae abhorrere, quod ad informationem ethicam deorum pertinet, neque eum, ut Seneca, deos mansuetos hominumque amantes inducere. Sic etiam res se habet, cum de fato agit. Tum dolor reipublicae liberae amissae, odium principatus, ira servitutis eum adducunt, ut, philosophia deserta, clades omnes fato invido et inviso, malis faventi bonosque prementi, tribuat. Rebus ante Pharsalicam pugnam gestis narratis, sic exclamat:

„Iam magis atque magis praeceps agit omnia fatum." [10])

Paucis verbis „πάντ' ἔχεις"!

Et res illo funesto die Pharsali gestas sic narrare incipit:

„Vicerat astra iubar, cum mixto murmure turba
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem,
Signa petit pugnae" etc. [11])

Ubi „trahere" aperte idem significat ac „trahere ad

---

1) Phars. I: 115.
2) Phars. II: 68.
3) „ II: 287.
4) „ II: 351.
5) „ IV: 514.
6) „ V: 758.
7) „ VI: 416.
8) „ VI: 783.
9) „ X: 30.
10) „ VI: 98.
11) „ VII: 45.

ruinam" sive „ad exitium". Quin de Mario agens, etiam apertius fatum odio in Romanos commotum significat his versibus:

„Vir ferus, et Romam cupienti perdere fato
sufficiens." [1])

Milites Pompeii et Caesaris, consanguinei et amici, per breve tempus in Hispania in gratiam redeunt, quo facto poeta exclamat:

. . . „pro numine fata sinistro,
exigua requie tantas augentia clades." [2])

nam paullo post proditio et caedes eo saeviores videntur. [3]) Cordus autem, corpore Pompeii parum sollemni modo cremato, a mortuo veniam petit:

. . . . „manes animamque potentem
officiis averte meis: iniuria fati
hoc fas esse iubet." [4])

Et filius Pompeii, fratri nefaria caede narrata, sic fatum incusat:

. . . „Quaecumque iniuria fati
Abstulit hos artus, superis haec crimina dono." [5])

Ipsa Iulia, in somno Pompeium terrens, atque parum decoro vocabulo eius uxorem secundam Corneliam pellicem vocans, confitetur eam aemulam non sua sponte sed fato damnatam esse, „semper potentes maritos in cladem detrahere" [6]), et etiam Thessalia est terra, „fatis damnata". [7]) Alibi rursus monet ne quisquam „fato felici" fidat [8]). Etiam ex epithetis satis apparet, quam hostile fatum Romanis videatur, saepissime enim „triste" vocatur [9]), „iniquum" [10]), series fatorum

---

1) Phars. II : 87.
2) „ IV : 194. Malimus legere: exigua *a* requie.
3) „ IV : 203 sq.
4) Phars. VIII : 762—4.
5) „ IX : 143—4.
6) „ III : 22.
7) „ VI : 413.
8) „ VIII : 32.
9) Cf. e. g. Phars. V : 57; VI : 305; VII : 411.
10) Cf. e. g. Phars. X : 452.

est „invida," et poeta exclamat. „O fati durissima sors"! [1]) „O summi fata pudoris." [2]). At Caesari contra, homini nefario et reipublicae infensissimo, fatum favet et tuetur: fatum enim manus sicariorum avertit [3]), Caesar ipse autem milites ad Massiliam oppugnandam sic adhortatur:

„Gaudete cohortes:
Obvia praebentur fatorum munere bella." [4])

Etiam Lentulus consul persuasum habet fatum suo favore victoriam dare, nam post Pharsalicam pugnam commissam Pompeio dissuadet ne regis Parthorum auxilium invocet, qui dum victoria incerta erat non venerat.

„Qui solus regum, fato celante favorem,
defuit Emathiae, nunc tantas ille lacesset
auditi victoris opes?" etc. [5])

Et in universum omnes res a Caesare feliciter gestae, Fortunae tribuuntur, quae autem non significatione vulgari accipienda videtur, qua de re plura post.

Fatum invocatur et exoratur.

Si autem fatum ut numen iniustum et invidum fingitur, odio aut favore impulsum, hominesque suo arbitrio premens aut fovens, nil mirum si invocatur et oratur, plane ut dei averrunci compellantur atque obsecrantur. Ut vulgus saepissime exclamat: „proh Dii!" (hac in re cum plebe nostrae aetatis conveniens,) sic Lucanus, ira aut dolore commotus, semper et ubique exclamat: „proh fata!" „proh tristia fata!" Et Cleopatra Caesarem periculi, ab Achilla instantis, sic monet:

„Iam tibi, sed procul hoc avertant fata, minatur." [6])

Paullo post, Pothino suasore caedis Pompeii Caesarem quoque petente, perturbatus dicit poeta:

„Poenaque civilis belli vindicta senatus
paene data est famulo. procul hoc avertite, fata,
crimen, ut haec Bruto cervix absente secetur." [7])

---

1) Phars. IX : 1046.
2) Phars. VIII : 678.
3) „ X : 420.
4) „ III : 361.
5) „ VIII : 359.
6) „ X : 101.
7) „ X : 340.

Caesarque, sicut fit in controversiis, suam causam iustissimam esse praedicans, fatum ut arbitrum non recusat, sed ipse, apud milites concionans, cum in eo est, ut pugnam Pharsalicam committat, fatum invocat:

„haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
promissam memini . . . . .
haec fato quae teste probet, quis iustius arma
sumpserit" etc. [1])

Poeta a notione fati philosophica recedit.

Ex omnibus locis adhuc allatis satis igitur apparet, fatum apud poetam nostrum saepissime in scaenam prodire, prorsus ut numen cogitans, omnia gubernare et implorari ut auxilio veniat, denique deos Olympicos expulsos omnino compensare; quae omnia satis a notione fati philosophica recedunt. Nam quo modo „ordo seriesque causarum" ut Cicero, aut „causa causarum," ut Seneca fatum definiunt, consequentia ex ipsa necessitate avertere, quo modo iusta aut iniusta videri possunt? Sed poeta adolescens, discipulus Senecae philosophi, doctrina Stoicorum, non imbutus quidem, at certe tinctus, cum in carmine epico, altiora spirante, aliquam vim, cuncta ducentem, res humanas ordinantem, hominesque regentem, desideraret, paene invitus eo adductus est, ut fatum Stoicorum in locum vacantem deorum omnia agentium substitueret.

Fatum non tam dramatice adhibitum ac in fabulis poetarum.

Nihilo minus Lucanus, nimis accurate singulis rebus descriptis, et rerum causis nimis copiose expositis, vocabulum fati persaepe adhibendo, vim ineluctabilem et obscuram fati, non satis clare nobis ante oculos ponere potuit, sed aliquomodo saepius aliquid artificiosi et frigidi in narratione inest. — In fabula, e. g. quae „Oedipus Rex" inscribitur, Sophocles, ea vi caeca et omnia secum trahente depicta, animos nostros horrore concutit; anxii rerum cursum inevitabilem sequimur, animi suspensi occultam Oedipodis originem suspicari incipimus, trepidi et fracti observamus, ut rex optimus nobilis identidem

1) Phars. VII: 259.

laqueos fati effugere se putet, ut postremo, sicut fera a venatore agitata et pressa, a fato miserrime pessumdetur [1]): nihil harum rerum apud Lucanum: affirmat quidem omnia fato fieri, sed ipsum fatum non dramatice adhibetur neque poeta suo carmine lectorem tanto amore Pompeii afficit, ut summa exspectatione, commoto et suspenso animo, potentiam et interventum fati Pompeium petentis, observet.

At non negandum, hoc argumentum esse multo difficilius ad enucleandum in carmine historico quam in fabula spectatoribus acta. Sed hac de re satis superque; nihil ad nos, num fortasse parum poetice in Pharsalia fatum sit adhibitum, sed tantummodo, quid poeta de fato senserit!

Fatum saepe in Pharsalia rerum cursum significat.

Non modo autem ut numen omnia agens fatum inducitur, sed saepius nihil aliud quam rerum cursum et eventum significat. Sic Sextus cupivisse dicitur „praenoscere fati cursus," [2]) Pythia autem respondit:

„Tu fatum ne quaere tuum cognoscere." [3])

Et somnio narrato, quo Pompeius extrema nocte ante Pharsalicam pugnam sibi visus est denuo in theatro suo Romae sedere, omni populo plaudente, poeta pathetice precatur:

„donassent utinam superi patriaeque tibique
unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
extremum tanti fructum caperetis amoris." [4])

poeta hoc vult: futura calamitas utrumque iunxisset, utinam neuter alteri esset superstes.

Cuius significationes vulgaris multa exempla afferri possunt. [5])

---

1) Hoc ipso anno, fabula Sophoclis hac in urbe a nonnullis commilitonibus acta, ipsi vim dramaticam fati, omnium animos perturbantem, cognoscere potuimus. — Macte studio et ingenio sunto, imprimis amicus protagonistes!

2) Phars. VI: 423. 3) Phars. VI: 812. 4) Phars. VII: 30.

5) Cf. etiam alios locos VII: 75; VII: 131; VIII; 64; 70; 344; X: 344; VIII: 486.

Fatone liberum arbitrium tollatur.

Si omnia autem fato fiant, fato praedestinantur, si omnia caecae necessitati parent, nonne arbitrium liberum omnino tollitur? Estne quidquam bonum aut malum, si omnia necessaria sunt? Ecce difficultas, quae non modo Stoicis, sed etiam usque ad nostram aetatem iis philosophis, qui omnia determinata esse censebant, maxima negotia exhibuit, neque ad huncine diem nodus solutus est.

Et imprimis Stoici Romani in ea consequentia sui dogmatis de fato acquiescere non poterant, nam satis lucet ethicam, in qua tota Senecae philosophia versatur, omnino tolli atque supervacaneam fieri, si actiones humanae necessitati tribuendae sunt. [1])

Quam repugnantiam cum e medio tollere non possent, simpliciter animo eximebant, ita ut in ethica quidem, fato seposito et expulso, docerent liberum esse arbitrium, hominesque suarum actionum rationem reddere debere, ut Tacitus, sua brevitate peculiari, diserte testatur his verbis, partim iam supra allatis: [2]) „Alii (nempe Stoici) fatum quidem ingruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitae nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem" etc. [3]) Cicero autem dicit: „Natura mundi omnes motus habet

---

1) Cf. A. Gell. Noctes Att. VI: 2 „Si Chrysippus fato putat omnia moveri et regi, nec declinari transcendique posse agmina fati et volumina: peccata quoque hominum et delicta non succensenda neque inducenda sunt ipsis voluntatibusque eorum, sed necessitati cuidam et instantiae, quae oritur e fato omnium, quae sit rerum domina et arbitra, per quam necesse sit fieri, quidquid futurum est, et propterea nocentium poenas legibus inique constitutas, si homines ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahuntur."

2) Tacit. Ann. VI: 22.

3) Ipse Tacitus magis dubitat. cf. IV: 20: „Unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis" etc. Cf. his de

voluntarios, conatusque et appetitiones, quas ὁρμὰς Graeci vocant, et his consentaneas actiones sic adhibet, ut nosmet ipsi, qui animis movemur et sensibus." [1])

Modo unus ex omnibus Stoicis, nempe Chrysippus, quaestionem, quo modo fatum cum libertate morali conciliari possit, sibi proposuisse videtur. Brevitatis et perspicuitatis causa, totum locum e Cicerone afferemus. „Chrysippus cum et necessitatem inprobaret et nihil vellet sine praepositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat, et retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliae sunt perfectae et principales, aliae adiuvantes et proximae. Quam ob rem cum dicimus omnia fata fieri causis antecedentibus, non hoc intellegi volumus: causis perfectis et principalibus, sed causis adiuvantibus et proximis. Itaque illi rationi, quam paulo ante conclusi, sic occurrit: si fato omnia fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis, verum non principalibus causis et perfectis, sed adiuvantibus et proximis. Quae si ipsae non sunt in nostra potestate, non sequitur, ut ne adpetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis et principalibus causis fieri diceremus, ut cum eae causae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. Quam ob rem, qui ita fatum introducant, ut necessitatem adiungant, in eos valebit illa conclusio; qui autem causas antecedentes non dicent perfectas neque principales, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur adsensiones fieri causis antepositis, id quale sit, facile a se explicari putat. Nam quamquam adsensio non possit fieri nisi commota viso, tamen, cum id visum proximam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem, ut Chrysippus vult, quam dudum diximus, non

---

rebus Zeller III pg. 166 et porro D. C. Pleyte: „Praecipua placita veterum philosophorum de Libertate Morali". 1839. Cf. Caput Quartum: Stoici pg. 86 sq.

1) Cic. de Nat. Deor. II: 22.

ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata, (necesse est enim adsensionem viso commoveri), sed revertitur ad cylindrum et ad turbinem suum, quae moveri incipere nisi pulsa non possunt. Id autem cum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi et versari turbinem putat. „Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit, sic visum obiectum imprimet illud quidem et quasi signabit in animo suam speciem, sed adsensio nostra erit in potestate, eaque, quem ad modum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. Quodsi aliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset omnia fato fieri; sin omnibus, quaecumque fiunt, verisimile est causam antecedere, quid adferre poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit? modo intellegatur, quae sit causarum distinctio ac dissimilitudo" [1]).

Paulo ante autem Cicero de Chrysippo dicit: „delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus." [2])

Et imprimis e Seneca satis multi loci afferri possunt, e quibus diluceat illum philosophum diserte liberum arbitrium homini vindicasse. [3]) Sed nostri propositi non est, sententiam hac de re Stoicorum exponere: satis sit, si demonstratum erit, Stoicos ipsos intellexisse, doctrinam suam de fato plane repugnare cum libertate morali, frustraque conatos esse eas notiones inter se conciliare.

Quid Lucanus de libertate morali senserit.

Nunc autem quaeramus, quid poeta noster de libero arbitrio sensisse videatur.

Nemo profecto, qui Pharsaliam perlegerit, per temporis punctum dubitabit, quin poeta, quaecumque de fato asseverat, necessitatem omnium actionum humanarum neget, nam quam ob rem Caesarem conviciis consec-

---

1) Cic. de fato 18 : 41. 2) Ibid. 17 : 39.

3) Sen. Qu. Nat. II : 39, VII : 24. Epist. 93, 103, 31. De Ira I : 7. De Vita Beata. c. 15.

tatur, cur inimicos Pompeii semper perstringit, si miseri tantummodo, necessitate coacti, nulla voluntate concessa, fato caeco parent? Quomodo carmen historicum, res gestas exponens, pangi potest, si nihil reprehendere, nihil laudare licet, omnibus necessitate factis? Sed sine ulla dubitatione Lucanus per totum carmen rationem actionum suarum poscit ab hominibus; in universum igitur libertatem moralem agnoscit.

Tum autem sunt nonnulli loci, ubi voluntas hominum fato opponi videtur. Pompeius, in Lesbum ad uxorem fugiens, pugna apud Pharsalum commissa, Corneliam consolatur adhortaturque ut animo confirmato fati calamitatibus resistat:

. . . . „prohibet succumbere fatis
Magnus, et immodicos castigat voce dolores", [1])

his verbis usus:

„Erige mentem
et tua cum fatis pietas decertet." [2])

Pompeius autem maxime laudatur, quod non „deiectus fatis" sit [3]), et Lentulus, consilio auxilii a Parthis petendi proposito, indignabundus rogat Pompeium:

„te, quem Romana regentem
horruit auditu, quem captos ducere reges
vidit ab Hyrcanis, Indoque a litore, silvis,
deiectum fatis humilem fractumque videbit? [4])

His locis igitur poeta homines non adhortari videtur, ut remissi se decretis fati subiciant, quin Massilienses contra magnis laudibus effert, quod, fide erga Pompeium servata, e portis suae urbis Caesarem excludant, nec fato cedant.

„Cumque alii famae populi terrore paverent,
Phocais in dubiis ausa est servare iuventus,
non Graia levitate, fidem signataque iura,
et causas, non fata sequi." [5])

---

1) Phars. VIII: 70. 2) Phars. VIII: 76. 3) Phars. VIII: 206.
4) „ VIII: 341. 5) Phars. III: 303.

Neque minus poeta cives Brundisii vituperat, quod hostes recipiant portis:

. . . „quas omnes solverat urbis
cum fato conversa fides." [1])

Sed imprimis e verbis, quae poeta illi foedo atque nefario suasori Ptolemaei, Pothino, regem ad caedem Pompeii incitanti, tribuit, satis apparet quam turpe illi videatur infelices, a fato pessumdatos, deserere:

„dat poenas laudata fides, cum sustinet, inquit
quos Fortuna premit: fatis accede, deisque
et cole felices: miseros fuge." [2])

At non ad seditionem in fatum excitare homines videtur poeta; sed potius censet hominibus licere in fide erga aliquem perseverare, quem fatum pessumdat: ethica cum fato repugnante, praeceptis ethicis parendum putat.

Uno loco autem, ne quidquam omittamus, Catonem inducit sententiam promentem, tam evidenter expressam ea imagine apud Hippolytum (cf. pg. 47), homine cum cane assimulato plaustro alligato, et invito a fato tracto; Cato enim, a Bruto consultus, utrum Pompeium an Caesarem in bello civili sequeretur, sic respondit:

„Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur,
sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur," [3])

ubi igitur asseverat esse sapientis hominis voluntatem fato submittere.

Sed etiam tum Lucanus hominibus arbitrium liberum

---

1) Phars. II: 704.

2) „ VIII: 486 locus etiam supra laudatus.

3) „ II: 286—7. Statim revocant in animum verba Cleanthis, supra allata, sic a Seneca latine conversa:

„Duc me, parens, celsique dominator poli,
quocumque placuit: nulla parendi mora est.
Adsum impiger: fac nolle: comitabor gemens
ducunt volentem fata, nolentem trahunt
malusque patiar, quod pati licuit bono".

Cf. verba Senecae. „Quid est boni viri? Praebere se fato." de Provid. 5: 5.

vindicat. Hic autem alia quaestio se offert animoque se obicit.

Illud fatum, estne inmutabile et inevitabile? Mira quidem, definitione philosophorum inspecta, haec quaestio videtur, sed homines vulgares eam notionem, omnia aliqua vi obscura ex omni aeternitate determinata et fixa esse, animo complecti non poterant, et putabant nonnulla certe ab hominibus posse mutari. Etiam apud Lucanum aliqua vestigia talis compromissi fatum inter et liberum arbitrium invenimus, sed semper reminiscendum, quo sensu singulis locis poeta fatum adhibuerit. Estne fatum inmutabile?

Imprimis unus locus in oculos incurrit, ubi fatum de rebus eventibusque praedestinatis usurpatur. Filius enim Pompeii magam quandam infamem de rebus futuris consulens, adhortatur ut verum exprimat e Manibus, vel sedes Elysias reserat, atque Mortem ipsam vocatam cogat futurum aperire. Saga autem Erichtho his versibus valde notandis respondit:

. . . . „Si fata minora moveres,
pronum erat, o iuvenis, quos velles, inquit, in actus
invitos praebere deos: conceditur arti,
unam cum radiis presserunt sidera mortem,
inseruisse moras; et quamvis fecerit omnis
stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
at simul a prima descendit origine mundi
causarum series, atque omnia fata laborant
si quicquam mutare velis, unoque sub ictu
stat genus humanum: tum Thessala turba fatemur
plus Fortuna potest." [1])

Diserte igitur affirmatur, esse duo genera fati; nam quaedam ab initio mundi fixa, atque sic causis aeternis determinata esse, ut aliter fieri aut evenire non possint, alia autem minoris momenti esse et mutabilia, quod causis aeternis non nectantur, quae igitur in potestate hominum sint. Cum de fato sive morte unius hominis agitur,

---

1) Phars. VI: 605—615.

putat saga se posse interpellare, quod ea una morte non omnis rerum cursus interrumpitur: sed si omnia homine intercedente, laborent, tum fatum inevitabile esse. De fato autem et fortuna promiscue adhibitis, mox disseremus. Satis perspicuum est, hanc opinionem parum cum philosophia convenire; illa mors enim unius hominis, ita ut alia omnia, causis antecedentibus determinata est: sed poeta parum curat subtilitates philosophiae, nihil scit de „causis principalibus et adiuvantibus", sed audacter sibi fingit esse fata „maiora" et „minora."

Sed etiam alibi de fato quasi mutabili agit. Narrat Pompeium, cum in eo esset ut Caesaris milites fugaret, subito suas copias revocasse, quod summa vehementia poeta dolet, quia omnis series rerum mutata fuisset, si proelium commisisset: felix ac libera Roma foret, nec Cato sibi mortem conscivisset, sed:

„ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:
exire e mediis potuit Pharsalia fatis" [1]).

Hic quoque igitur, poeta vehementi desiderio libertatis et Pompeii victoriae commotus, philosophia destituta, sibi fingit Pharsalicam pugnam quasi e media serie rerum, a fato constituta, eripi sive eximi potuisse: quod tam mirum videtur, ut nonnulli homines docti aliqua coniectura, vocabulum „fatis" sanante, philosophiae Lucani succurrere voluerint, sed sine ulla necessitate, ut nobis videtur. Num igitur Lucanus revera credit pugnam Pharsalicam, causis ex aeternitate causis nexis, non inevitabilem fuisse? Admodum dubitamus, num id putaverit, sed, Pharsalo memorata, semper in tales exclamationes rhetoricas prorumpit.

Fatum morari et retinere!

Poeta autem persuasum habere videtur hominem posse morari fata: nam Pompeium haec de Mithridate a se fugato, affirmantem inducit:

---

1) Phars. VI: 312—3. Schraderus coniecit: „excidere e mediis potuit Pharsalia fastis".

Ex codicibus Voss. 1 habet: exciri. Voss. 2 excire.

„Idem ego per Scythici profugum divortia Ponti
indomitum regem, Romanaque fata morantem
ad mortem, Sulla felicior, ire coegi." [1])

postea autem multo minus gloriabundus dicit, clade affectus:

. . . . „nil ultra fata morabor." [2])

quibus iisdem verbis Caesar, longa oratione apud milites ante pugnam Pharsalicam initam habita, utitur [3]). Massilia autem Caesarem excludente, atque belli cursum impediente, triumphans exclamat poeta:

. . . . „Quantum est quod fata tenentur." [4])

Est alius locus, ubi amor tener Pompeii erga maritam Corneliam, tam pulchre a poeta per totum carmen depictus, aliquot versibus summa humanitate plenis, miserationem nostram movet. Decreverat enim Pompeius coniugem procul a se, in locum tutum mittere, sed ultima nocte dubium et trepidum amor eum fecerat, et dubitat cum cara uxore consilium suum communicare, nam:

. . . . „mentem iam verba paratam
destituunt, blandaeque iuvat ventura trahentem
indulgere morae, et tempus subducere fatis" [5]).

Non modo agit poeta de fatis quae retinentur [6]), sed etiam putat fata posse arcessi, praecipitari, festinari, rumpi, impelli, rapi: omnibus his locis autem fatum non proprio sensu philosophico accipiendum videtur, sed potius fatum significat rerum discrimen vel cursum, aut vitam humanam [7]).

Quin uno loco Pompeium, sic alloquentem Caesarem, inducit:

„O rabies miseranda ducis! Cum fata Camillis

---

1) Phars. II : 580—2. 2) Phars. VII : 88. 3) Phars. VII : 295.
4) „ III : 392. 5) Phars. V : 732.
6) Cf. etiam Phars. IV : 351; V : 205; V : 482; VI : 726.
7) Phars. VII : 252; VII : 51; V : 660; II : 107; V : 41; IX : 639; III : 752; VII : 647.

te, Caesar, magnisque velint miscere Metellis,
ad Cinnas Mariosque venis." [1])

Et iactanter homini potestatem fati evertendi tribuit, philosophos Indos laudans, qui vivi rogos ardentes conscendant:

. . . . „Pro quanta est gloria genti
iniecisse manum fatis, vitaque repletos
quod superest, donasse deis" [2]).

Pompeius ex Italia evadit, quamquam:

. . . . „Vix fata sinunt." [3])

His omnibus perspectis, non dubitandum videtur quin Lucanus, ut iam multi poetae inde ab Homero, non semper et ubicumque fatum inexorabile sibi informaverit.

Neque mirum, nam fato omnia regente, hominibus quasi neurospastis sive nervis alienis ductis, tota vita humana magno flumini, homines frustra obluctantes auferenti, similis videtur: poesis epica autem evanescit. Quam ob rem necesse est ut poeta, etiam si castra stoicorum petat, hominibus maiorem libertatem moralem tribuat, quam cum doctrina de fato conveniat.

Sed cum hac quaestione arctissime cohaeret ratio, qua fatum a deis pendeat; quod nunc nobis considerandum est.

Quo modo fatum a deis pendeat.

Hic statim maximum discrimen inter sententiam antiquorum et recentiorum temporum conspici potest. Nobis enim notio fati negare et removere videtur Deum personalem, homines curantem atque diligentem. Stoici autem quodammodo fatum et deum assimilant, quod nullo modo clarius, quam Senecae ipsius verbis probari potest; qui sic scripsit: „Quid enim aliud est natura, quam Deus et divina ratio, toto mundo et partibus eius inserta.... hunc eundem si fatum dixeris non mentieris.

---

1) Phars. II: 544.

2) „ III: 241—3: quod superest: sc. vitae; remittunt igitur homines aliquam partem vitae sibi debitae; cf. Aeneid. X: 419.

3) Phars. II: 701.

Nam cum fatum nihil aliud sit quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent" [1]). Et paullo post: „Naturam voca illum, (sc. Deum) fatum, fortunam: omnia eiusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate" [2]). Quae verba alibi fere iterat: „Vis illum (sc. Deum) fatum vocare? Non errabis, hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum" [3]).

Neque Seneca tantummodo, sed ipse Zeno hanc sententiam exprimit, si Tertuliano fidem adhibemus, dicenti: „Hunc enim (sc. λόγον) Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit, eundem et fatum vocari et Deum et animum Iovis et necessitatem omnium rerum" [4]). Alibi autem Seneca etiam apertius ostendit, quomodo deum et fatum inter se cohaerere sibi fingat: „Ille omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel iussit." [5]) Alibi rursus, magis dubitanter, aliquo modo fatum et Deum inter se opponere videtur: „Id actum est, mihi crede, ab illo, quisquis formator Universi fuit, sive ille Deus est potens omnium . . . sive fatum et inmutabilis causarum inter se cohaerentium series." [6])

Poeta noster autem etiam hac in re incertam opinionem exprimit. Illo loco enim, iam supra laudato, ubi de origine oraculi Pythici quaerit, sic dixit:

„Quis terram caeli patitur deus, omnia cursus
aeterni secreta tenens mundique futuri
conscius, ac populis sese proferre paratus,
contactusque ferens hominum magnusque potensque

---

1) Sen. de Benef. 4 : 7 : 1.
2) ibid. 4 : 8 : 2.
3) Seneca: Qu. Natur. II : 45 : 1.
4) Tert. Apolog. 21.
5) Sen.: Dialog. I : 5 : 8.
6) Sen. Cons. ad Helv. 8 : 3.

sive canit fatum, seu quod iubet ille canendo
fit fatum." [1])

Quibus verbis nihil clarius potest ostendere poetae dubitationem, num fatum e Deo pendeat. Alibi contra, doctrina Stoica et Epicurea de mundi administratione inter se oppositis, persuasum habere videtur, Deum sive rerum conditorem, etiam fatum ipsum ordinasse, nam sic alteram ex duabus alternationibus exprimit:

„Sive parens rerum, cum primum informia regna
materiemque rudem flamma cedente recepit,
fixit in aeternum causas, qua cuncta coercet
se quoque lege tenens, et saecula iussa ferentem
fatorum immoto divisit limite mundum." [2])

Satis notabile hos versus prorsus convenire cum verbis Senecae, ex primo dialogo supra laudatis.

Etiam aliis locis fatum Deo sive Iovi subicere videtur. Nam filius Pompeii, tristi morte patris narrata, aperte deos ob fatum iniustum culpandos putat.

. . . . „Quaecumque iniuria fati
abstulit hos artus, superis haec crimina dono." [3])

Nisi autem dei fatum ordinant, quomodo iis irasci potest homo?

Et pathetice poeta Thessaliam rogat:

. . . . „quo tanto crimine tellus
laesisti superos, ut te tot mortibus unam,
tot scelerum fatis premerent?" [4])

Ex aliis versibus fere efficeremus, deos potestatem fati mutandi habere; nam

„domitis Caesar remeabat Hiberis,
victrices aquilas alium laturus in orbem:
cum prope fatorum tantos per prospera cursus
avertere dei." [5])

Et Caesar contumeliose suos milites seditiosos sic monet:

---

1) Phars. V: 88 sq.
2) „ II: 7 sq.
3) Phars. IX: 143—4.
4) „ VII: 847.
5) „ V: 237.

„nunquam sic cura deorum
se premit ut vestrae morti, vestraeque saluti
fata vacent," [1])

ex quo sequitur, fata e cura deorum pendere.

Alibi commemorat XV viros libris sibyllinis inspiciundis

„qui fata deum secretaque carmina servant." [2])

etiam apud Vergilium fata nonnumquam sunt folia, in quibus sors cuiusque est notata; hoc loco illa fata a deis scripta videntur.

Quoad ex his locis igitur iudicare licet, Lucanus censuisse videtur fatum a deo sive deis constitutum et ordinatum esse, quae sententia in summis cum Stoicis convenit. [3]) Si autem fatum est lex, qua dei mundum regant, ingenio poetico multo facilius est sibi fingere deos nonnumquam ab ea lege discedere, et homines quoque aliquid in rebus constituendis valere. Naturam ipsam de lege aeterna recedere affirmat poeta:

„Segnior Oceano quam lex aeterna vocabat
luctificus Titan numquam magis aethera contra
egit equos." [4])

Fato autem a deo constituto, lucet quare poeta etiam fatum hominibus tam infensum credat: quippe dei irati saeva et crudelia in homines constituunt.

Sententia Homeri.

Obiter dictum sit, eandem quaestionem, num fatum inevitabile liberum arbitrium hominum tollat, num dei fatum ordinent an contra ipsi fato pareant, etiam apud Homerum oriri. Saepius occurrit vocabulum ὑπέρμορον, sed fere semper hoc vel illud contra fatum accidisset, nisi aliquid factum esset, non accidit igitur [5]). Sed uno loco Achaei revera contra fatum victoriam reportant.

---

1) Phars. V : 340 cf. etiam V : 536; IV : 194. Aliis locis dei et fatum una commemorantur: cf. V : 482; VII : 705; VIII : 486.

2) Phars. I : 599.

3) Ipse poeta nonnumquam vocabulum legis de fato adhibet; cf. X : 200; VIII : 568; VII : 1.

4) Phars. VII : 1.

5) Cf. Iliad. 2 : 155, 20 : 29, 20 : 335, 21 : 544.

„καὶ τότε δὴ ῥ' ὑπὲρ αἶσαν Ἀχαιοὶ φέρτεροι ἦσαν" [1]).

Aegisthus autem contra fatum Clytaemnaestram petiit [2]), sed diserte addit poeta, eum poenas dignas dedisse: homo igitur peccare quidem potest in fati decreta, sed poenas evitare nequit. Etiam homines Homerici igitur vix credere poterant se nihil esse nisi caecum instrumentum, decreta fati perficientes.

Ex multis locis autem apparet iam Homerum, plane ut Stoicos, qui vero, ut iam antea vidimus, multis in rebus se fidei populari accommodare studebant, voluntatem Iovis et fatum assimilasse, deos autem iussa fati conficientes sibi finxisse. [3])

Sed multis locis fatum alio sensu in Pharsalia occurrit, quas significationes, ne quidquam omittatur, nunc ad extremum exponemus.

Fatum idem ac sors.

Vocabulum fati iam, quod poetae tam in deliciis est, cum genitivo aut pronomine possessivo coniunctum, saepissime eadem significatione atque apud nos usurpatur, nempe pro rebus gestis aut casibus alicuius hominis aut gentis. Pompeius e. g. dicit:

„Sed cuncta revolvens
vitae fata meae, semper venerabilis illa
orbis parte fui." [4])

Vulteius autem nescit „quod exemplum magnum et memorabile fatis suis Fortuna parat" [5]).

Fatum igitur nihil aliud est quam sors. Sic Senatus:

„Magno fatum patriaeque suumque
imposuit." [6])

---

1) Il. 16 : 780. 2) Odyss. 1 : 35.

3) Cf. his de rebus: Nägelsbach: Homerische Theologie pg. 116—139.

4) Phars. VIII : 316. Multa alia exempla huius significationis vulgaris afferri possunt. cf. VII : 426; VIII : 347, 533, 415.

5) Phars. IV : 496.

6) Phars. V : 48. cf. VIII : 49, 138, 360; IX : 397; V : 683; IX : 410; VII : 51; II : 239; IV : 215; V : 776; VI : 632; VII : 611; III : 604; IX : 735.

Caesar milites his verbis reprehendit:

„Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis." [1])

Fatum significare videtur casum.

Tum fatum aliquotiens ea significatione adhibetur, quae omnino ab ipsa notione abhorrere videtur, pro casu aut forte! Coniurati in animo habentes Caesarem in domo Cleopatrae et Ptolemaei occidere, dubitant; nam:

. . „metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
ne caedes confusa manu permissaque fatis
te, Ptolemaee, trahat: tanta est fiducia ferri." [2])

In castris Caesaris magna confusio est:

„Calcatisque ruunt castris: stant ordine nullo
arte ducis nulla; permittunt omnia fatis." [3])

Quin poeta bis de „alea fati" agit, [4]) quibus vocabulis nihil inter se repugnantius esse videtur.

Fatum pro Morte.

Porro fatum in Pharsalia, ut in tota Latinitate, pro morte usurpatur. Sic ille homo, qui corpus Pompeii inhumati cremat, precatur:

„Si quid sensus post fata relictum est,
cedis et ipsa rogo." [5])

Et milites qui Vulteio adhortante, mori potius quam hostibus se tradere statuunt, „mutua fata pacti cadunt." [6]) Sed haec significatio magis vulgaris est, quam ut necesse sit omnes locos singulos afferre. [7])

Aliae significationes fati.

Poeta illud vocabulum tam in ore habebat, ut etiam alias res, quae nihil cum fato commune habere videntur, per „fatum" denotet. Pompeius fugiens post cladem Pharsalicam,

---

1) Phars. V: 325. Sic M. S. S. Sed verba non admodum perspicua. Quid sibi vult illud „a d bella." Legendum videtur „a c bella."

2) Phars. X: 426. 3) Phars. VII: 333.

4) „ VI: 7; VI: 603. Etiam apud Tacitum vocabulum hac significatione invenitur: cf. Annal. VI: 46: „mox incertus animi, fesso corpore consilium, cui impar erat, fato permisit."

5) Phars. VIII: 748. 6) Phars. IV: 556.

7) „ III: 353, 634, 645; IV: 480, 484, 518, 541; V: 283, 688; VI: 244, 791; VII: 633, 668, 679, 463, 471; VIII: 628, 652; IX: 274, 733, 735, 849, 922; VI: 823; IX: 758.

. . . . „quamvis summo de culmine lapsus
nondum vile sui pretium scit sanguinis esse,
seque, memor fati, tantae mercedis habere" etc. [1])
ubi fatum significat dignitatem sive locum, quem ante bellum civile habebat.

Cleopatra autem a Caesare auxilium implorat his verbis:

„Si tua restituat veteri me dextera fato,
complector regina pedes" [2])

Quid aliud quam dignitatem hoc loco significat vetus fatum?

De Alexandro Magno sic loquitur poeta:

„Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem
abstulit imperium, nulloque herede relicto
totius fati, lacerandas praebuit urbes." [3])

Fatum aperte idem est quod imperium nec aliquem, pro „fati" legentem „regni", a sententia aberrare credi-derimus.

Aegyptum poeta vocat „tellurem noxiam civili fato", ubi in animo habet: „bellum civile" [4]); alibi rursus asseverat: „fatum miserabile belli in pedites incubuisse", [5]) fatum igitur est difficillima et maxime periculosa pugnae pars. Nonnumquam fatum pro successu aut fortuna ponitur, quamquam hic etiam inest notio alicuius rei praedestinatae. [6])

His et aliis locis igitur, e nexu et verbis cohaerentibus semper significatio fati efficienda est.

Fatum quasi tactui subiectum.

Denique operae pretium est animadvertere, ut mire fatum, quasi res tactui et visui subiecta, inducatur. Comparatione inter sibyllam Cumanam et Pythiam instituta, dicit poeta:

„Talis in Euboico vates Cumana recessu,
indignata suum multis servire furorem

---

1) Phars. VIII : 8. 2) Phars. X : 88.
3) „ X : 45. 4) „ VIII : 823.
5) „ IV : 769. 6) „ VIII : 215; II : 726.

gentibus, ex tanta fatorum strage superba
excerpsit Romana manu. Sic plena laborat
Phemonoe Phoebo, dum te, consultor operti
Castalia tellure dei, vix invenit, Appi,
inter fata diu quaerens tam magna latentem." [1])

Nonne potius putaremus illas feminas quasi rostro aliquam stragem sive illuviem perscrutari, aliqua scruta quaerentes? Satis friget ille locus. Et notandum est discrimen, quod hoc loco inter fatum Romanorum et barbarorum poeta facit. Quae sententia omnino non convenit cum opinione Stoicorum, qui omnes homines omnium gentium paene ut fratres esse putent. Ipse poeta invocat alibi „Concordiam, et sacrum orbis amorem." [2])

Num fatum praenosci possit.

Nunc nobis etiam restat, ut quaeramus, num fatum ab hominibus praenosci possit. Arctissime cohaeret Stoicorum doctrina de divinatione cum eorum sententia de fato, et in Pharsalia omina et divinatio tam magni momenti sunt, ut malimus alio capite, dedita opera, his de rebus disserere, quam hoc loco obiter attingere.

Conclusio.

Quid igitur Lucanus de fato sensit? Ex locis laudatis apparet eum Stoicum agentem summam vim fato tribuisse et credidisse, et in rebus vulgaribus et in interitu Pompeii reipublicaeque liberae, fatum omnia valere. Sed simul sententia vulgaris et postulata artis poeticae philosophiam ita superat et detrudit, ut saepius illud fatum quasi deum agentem, nonnumquam consilium suum mutantem, ab hominibus oppugnatum et retentum, inducat, sine dubio eo modo opinione vulgari expressa.

His fatis igitur feliciter peractis, nunc nostram fortunam in Fortuna tentemus!

---

1) Phars. V : 183. Damsté cum Cortio putat legendum esse: qualis.
2) „ IV : 190—91.

CAPUT III.

Quid Lucanus de Fortuna senserit. [1])

Fatum et fortuna iuxta commemorantur. — Fortuna dea Romana. — Homines inter fatum et fortunam non semper distinguunt. — Fortuna vulgo dea casus. — Fortuna primas partes agit. — Fortuna imprimis Caesari favet. — Poeta saepissime Fortunae conviciatur. — Fortuna crudelis et maligna. — Homines saepissime Fortunam compellant. — Fortuna dea personalis. — Fortuna in Pharsalia consilia sua mutat, non per se autem inconstans. — Aliquot locis Fortuna res providet. — Fortuna praesagia dat. — Perpaucis locis Fortuna pro casu adhibetur. — Fatum et Fortuna non inter se opponuntur. — Sententia Nisardii mirabilis. — Fortuna idem ac fatum significat. — Sententia Heitlandii. — Quomodo Fortuna et fatum inter se cohaereant. — Fortuna quasi ancilla fati. — Qualis igitur Fortuna in Pharsalia depingatur. — Quam ob rem Fortuna sic inducatur. — Etiam alii poetae fatum et Fortunam assimilaverunt. — Num dei Fortunam constituant. — Aliae significationes Fortunae. — Fortuna quasi genius, homines comitans.

Fatum et Fortuna iuxta commemorantur.

Fatum et fortuna, quid inter se repugnantius atque inimicius fingi potest? Quae notiones magis inter se discrepant, quam ordo et series causarum, lex aeterna mundi, ab inconstantia caecae fortis? Valde mirabile igitur, quod in Pharsalia poeta iuxta fatum, cuncta regens, fere ducenties Fortunam commemorat, eique summam potestatem tribuit, ita ut lector perturbatus frustra a se quaerat, quae vis, fatum an fortuna, plurimum

---

1) (Inevitabile fuit hoc capite plures locos iam supra laudatos iterum afferre.)

valeat. Ut hoc expediamus, qua ratione tandem poeta fatum et fortunam inter se cohaerere finxerit, primo inquirendum, qualis fortuna in Pharsalia appareat.

Fortuna dea Romana.

Iam a primis saeculis Fortuna ut dea a Romanis colebatur et adorabatur, ita ut Τύχη a Graecis. Servius Tullius, qui filius servae auxilio fortunae ad regnum pervenisse videbatur, primus in Monte Capitolino templum Fortunae exstruxisse dicitur, cognomine Primigeniae, quod homini cuique statim ab ortu suam fortunam sive destinationem det.

Homines inter fatum et fortunam non semper distinguunt.

Iam ex hoc cognomine quodammodo patet, homines non semper distinxisse inter notiones fati et fortunae, nam certa fortuna, unicuique ab ortu tributa, quo modo a fato differat, non ita clare apparet; sed aliqua ex parte patet, cur hae notiones confusae sint. Homo ignarus enim, quid quovis puncto temporis ei accidere possit et immineat, quasi in monte flammas evomente habitans, vulgo aliquam vim occultam et supranaturalem, suam vitam et omnia humana regentem, desiderat, quam vim fatum aut fortunam appellat. Quamquam illae notiones ipsa rei natura prorsus inter se oppositae sunt, effectus tamen hominibus vulgaribus similes videbantur, ita ut in usu quotidiano vocabula paene coalescerent, utroque pro futuro ignoto aut caeca vi dominante adhibito, et homines sine magno aut ullo discrimine de suo fato aut de sua fortuna agerent. Sed sine dubio Fortuna magis ut dea personalis, fatum ut vis impersonalis a vulgo fingebatur.

Fortuna vulgo dea casus.

Fortuna autem dea inconstantiae habebatur, ut iam Cicero, negans se scire, quae divinitas in deis, quales Concordia et Honos, insit, his verbis testatur: „Quo in genere vel maxime est Fortuna adnumeranda, quam nemo ab inconstantia et temeritate seiungit, quae digna certe non sunt deo." [1]) Plinius Maior quoque dilucide ostendit, quo modo homines Fortunam sibi informaverint, his

1) Cic. de Nat. Deor. III : 24 : 61.

verbis usus: „Toto quippe mundo et omnibus locis, omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola vocatur ac nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur et cum conviciis colitur, volubilis, a plerisque vero et caeca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix; huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit, adeoque obnoxiae sumus sortis, ut sors ipsa pro deo sit, qua deus probatur incertus." [1])

Constat autem cultum deae Fortunae sub ultima tempora liberae reipublicae atque initium principatus magis magisque crevisse: neque mirum, si temporibus tam gravibus et turbulentis, caede cruenta, seditionibus omnique pravitate repletis, homines vulgares magis deae mutabili cunctaque e libidine facienti, quam deis Olympicis credere incipiebant.

Fortuna primas partes agit.

Sine dubio haec opinio de potestate Fortunae etiam nostrum poetam adduxit, ut eam deam primas partes agentem in carmine adhiberet, perraro tamen significatione vulgari, nempe casus et fortis. Saepissime, cum e more Lucani fatum intercedens exspectaremus, subito Fortuna in scaenam prodit, dea Romanis infensissima, Caesari favens, Pompeium opprimens. Loco notabili acerrime plorat poeta cladem Pharsalicam, quod ab eo tempore iugum servitutis Romanis impositum sit: ea pugna non modo aequalibus, sed etiam posteris, servis factis, quaerit quo modo Romani sui temporis talem sortem meriti sint, num pavidi fuerint in proeliis. Tum vehementer respondet:

. . . . „alieni poena timoris
in nostra cervice sedet: post proelia natis
si dominum, Fortuna, dabas et bella dedisses." [2])

Fortuna igitur non modo principatum adduxit, sed etiam suo arbitrio bella dare potuisset.

---

1) Plin. II : 7 : 22. 2) Phars. VII : 644.

Incolae Arimini queruntur de situ suae urbis: nam quotiens Fortuna Romam lacessit, hac est iter bellis, et asseverant:

„melius, Fortuna, dedisses
orbe sub Eoo sedem" etc. [1])

Et Cato acerrime militibus obicit, quod e triumviris Pompeio et Crasso occisis, non amplius bellum in Caesarem gerere velint, nam:

. . . . „unum Fortuna reliquit
iam tribus e dominis." [2])

Alibi, sociis post Pompeii mortem dilabentibus, Cato exclamat:

„O nunquam pacate Cilix! iterumne rapinas
vadis in aequoreas? Magnum Fortuna removit:
iam pelago pirata redis." [3])

Diserte affirmat Pompeius:

„Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas." [4])

Sed etiam persuasum habet suas clades ei tribuendas esse, nam post pugnam Pharsalicam intrepidus, atque sortis Marii memor, qui proscriptus et exsul, tamen consul mortuus est, indignabundus quaerit:

„me pressum leviore manu Fortuna tenebit?" [5])

sed moriens, non dubitat, quis eum pessumdet, nam ab Aegyptiis in insidias inductus:

. . . . „Ut vidit comminus enses,
involvit vultus: atque indignata apertum
Fortunae praestare caput, tunc lumina pressit,
continuitque animam" etc. [6])

Paullo post, corpore lacero Pompeii a misericordi homine quodam in arenis humato, triste rogat poeta:

. . . . „Placet hoc, Fortuna, sepulcrum
dicere Pompeii?" [7])

---

1) Phars. I: 251—57. 2) Phars. IX: 265. 3) Phars. IX: 222. 4) Phars. VII: 110. Cf. verba Lentuli „si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur." V: 26. 5) Phars. VIII: 271, lectio admodum incerta. 6) VIII: 613. 7) Phars. VIII: 793. Cf. Phars. VIII: 94.

Fortuna imprimis Caesari favet.

At Caesari, illi humani generis hosti, Fortuna summopere patrocinatur, ei semper auxilio venit, eumque quasi meretrix suas delicias ludit; sed Caesar minime de eius favore dubitat. Etiam cum milites Afranii se legatis Caesaris tradunt, est Fortuna, quae iis „hoc quoque securis oneris remisit," [1]) quod victorem colere debeant.

Milites seditiosos Caesar non dubitat demittere, sic eos allocutus:

„Invenient haec arma manus, vobisque repulsis,
tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt." [2])

Fere risum movet ille locus, ubi Caesar, in maximis periculis, in procella vehemente versatus, Fortunam, quasi concubinam suam, sic compellat:

„Nec sciet hoc quisquam, nisi tu, quae sola meorum
conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum
et dictator eam Stygias et consul ad umbras,
privatum, Fortuna, mori." [3])

In Hispania Fortuna eum per iocum paene clade affecerat, sed nihilo minus eum tuetur, nam:

. . . . „parvo Fortuna viri contenta pavore
plena redit." [4])

Caesar ipse autem insolenter asseverat „Fortunam tunc male de se mereri, cum post vota venerit." [5])

Quin ipsa, quasi dea Olympica in scaenam prodiens, Caesarem Alexandriae ab Aegyptiis circumventum tuetur:

„murique vicem Fortuna tuetur." [6])

Poeta saepissime Fortunae convicietur.

Per totum carmen poeta non lassatur in Fortunam convicia ingerere: non modo est causa omnium malorum, sed etiam calamitatibus delectatur malosque defendit:

. . . . „Servat multos Fortuna nocentes." [7])

---

1) Phars. IV : 399. 2) Phars. V : 327. 3) Phars. V : 665.
4) „ IV : 121. 5) Phars. V : 582. Cf. verba sequentia ad piscatorem dicta, qui eum in Italiam transvehit:

. . . . „quaerit pelagi caelique tumultu
quid praestet Fortuna mihi."

6) Phars. X : 485. 7) Phars. III : 448. Cf. V : 697.

et Pompeium Caesaremque ad bellum incitat; neque illos contentos vult, quo Marius et Sulla contenti fuerint:

„Hos alio, Fortuna, vocas." [1])

nempe ad maiora facinora.

Domitio, duce Pompeianorum Caesari tradito, sed incolumi demisso, Lucanus illam clementiam Domitio et Romae summo dedecori ducit, Fortunam obiurgans:

„Heu quanto melius, vel caede peracta,
parcere Romano potuit Fortuna pudori." [2])

Fortuna crudelis et maligna.

Quin etiam sanguine et caede Fortuna delectatur, nam Romanis pugna cruenta ab Iuba victis,

„non tam laeta tulit victor spectacula Maurus,
quam Fortuna dabat: fluvios non ille cruoris
membrorumque videt lapsum." [3])

Pompeianos autem, pugnam Pharsalicam commissuros,

. . . . „undique traxit
in miseram Fortuna necem." [4])

Ne cadaver quidem, a maga Erichthone ad futurum praedicendum resuscitatum, de Fortunae malignitate dubitat, sic homines monens:

„Europam, miseri, Libyamque Asiamque timete,
distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis." [5])

Et sola causa, quod Pompeius non „sub Fortunae ictu" velit stare, est coniunx.

Prorsus ut hodie Imperatores putant, se imprimis Deo cordi esse, et vicissim eodem bello suas victorias Deo tribuunt, quasi esset e. g. Deus Gallicus et Deus Germanicus, sic etiam Pompeius et Caesar suae propriae Fortunae credere videntur.

Nam etiam Pompeius, homo miser, tempore praeterito semper deliciae Fortunae habitus erat, quam ob rem Cicero eum ad pugnam committendam sic adhortatur:

„Hoc pro tot meritis solum te, Magne precatur
uti se Fortuna velis." [6])

---

1) Phars. II: 230. 2) Phars. II: 517. 3) Phars. IV: 784.
4) „ VII: 415. 5) „ VI: 817. 6) „ VII: 69.

Sed eheu, Pompei,

„lassata triumphis
destituit Fortuna tuis." [1])

Quam Caesar autem Fortunae fidat iam supra demonstratum.

Fortuna misericors.

Sed non semper est dea saeva. Militibus enim Catonis, per deserta Africae iter facientibus, post maxima pericula opem fert:

„Vix miseris serum tanto lassata periclo
auxilium Fortuna dedit." [2])

et occiso Achilla, qui Pompeium nefarie interfecerat, delectari videtur, nam sic dixit poeta:

„altera, Magne, tuis iam victima mittitur umbris;
nec satis hoc Fortuna putat." [3])

Fortuna igitur prorsus ut homo, affectibus commovetur.

Homines saepissime Fortunam compellant.

Maximum autem argumentum est, poetam sibi Fortunam ut deam personalem finxisse, quod saepissime aut ipse eam alloquitur, aut aliquem eam compellantem inducit, fere semper verbis deprecantibus.

Morte Pompeii audita, irata Cornelia

„ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito
accendisse rogum." [4])

Poeta ipse, post Pharsalicam cladem, libertatem antiquam detestatus, optat ut Roma numquam a regibus liberata fuerit:

„de Brutis, Fortuna, queror." [5])

Et a Caesare in Thessalia victus, sic Pompeius pathetice Fortunam affatur:

„Civiline parum est bello, si meque meosque
obruis? Exiguae clades sumus orbe remoto?
omnia quid laceras? quid perdere cuncta laboras?
iam nihil est, Fortuna, meum." [6])

---

1) Phars. II: 727. Cod. Ashb. autem pro „destituit" habet: „descivit"
2) Phars. IX: 890. 3) Phars. X: 524. Cf. X: 1060.
4) Phars. IX: 55. 5) Phars. VII: 440.
6) Phars. VII: 663. Sunt multi alii loci, ubi Fortuna ipsa compellatur.

Ex omnibus locis igitur, adhuc laudatis, satis patet, Fortunam in Pharsalia ut deam omnipotentem a poeta informari, easdemque partes, quos deos apud Homerum et Vergilium, agere. Fortuna dea personalis.

Fortuna bellum civile attulit, malos ex summis periculis servat, bonos summa crudelitate opprimit, odio et amore, ira et misericordia commovetur, ipsaque ab hominibus compellatur atque incusatur: plane easdem partes igitur, quas fatum, agit, sed sine dubio, multo maiore vi dramatica depingitur: est quasi femina improba et ambitiosa, quae vicissim favet, et ludit et pessumdat, quos velit.

Non fieri potest, ut iis locis poeta in animo habeat deam caecae fortis, omnia casu perficientem: Fortuna in Pharsalia non dea per se inconstans et levis videtur, sed dea cogitans, humanis affectibus praedita, quae, hominum erroribus irritata, audacia conciliata, pro rebus et temporibus, ratione quadam consilia sua mutet ac se convertat. Fortuna in Pharsalia consilia sua mutat non per se autem inconstans.

Ne fatum quidem poeta semper inmutabile sibi finxit, ut alio capite vidimus; multo minus mirabile igitur, quod dea personalis nonnumquam sententiam mutat. Nonne etiam homo probus et firmus saepius alias alia sentit? quis autem eum idcirco levitatis accusaret? Ea ipsa de causa Fortuna multo magis vivida et pollens quam notio fati in Pharsalia videtur, quod multo maiorem libertatem actionibus humanis tribuit.

Ut feminae omnibus temporibus et omnibus terris, etiam Fortuna conciliatur ab hominibus audacibus et strenuis, et sinit ut rerum cursus ab iis aliqua ex parte constituatur. Caesar, homo strenuus et impiger, optime intellegit eius favore statim utendum esse, quam ob rem

---

Cf. Phars. I : 251; II : 568; IV : 496; VI : 615; VII : 110; VII : 666 VIII : 427; VIII : 600 alibi iam laudatum IX : 212; II : 72; II : 230; V : 668; VII : 645.

„Protinus hostili statuit succedere vallo,
dum Fortuna calet." [1])

Pompeius contra, Fortuna multo dignior sed semper haesitans, semper suam occasionem praetermittens, tandem a Fortuna lassata deseritur:

„longi poenas Fortuna favoris
exigit a misero." [2])

Fortuna igitur non ut caeca fors, sed ut femina, favorem et consilia sua mutat; alibi autem Fortuna res providere videtur.

Aliquot locis Fortuna res providet.

Pompeio enim ex Italia cedente, poeta, loco pulcherrimo et humanitatis pleno, putat deos non odio commotos eum sepulchro in terra patria privaturos esse, sed:

„Parcitur Hesperiae; procul hoc ut in orbe remoto
abscondat Fortuna nefas Romanaque tellus
immaculata sui servetur sanguine Magni." [3])

Fortuna iam diu ante nomini Romano prospicit: num quid igitur cum casu commune habet?

Sed alio loco, iam supra laudato, etiam apertius significatio et vis Fortunae patet: Erichtho, illa maga Thessalo, ab Appio de futuro consulta, respondet, se artibus magicis fatum unius hominis quidem posse mutare:

„at simul a prima descendit origine mundi
causarum series, atque omnia fata laborant
si quicquam mutare velis, unoque sub ictu
stat genus humanum: tum Thessala turba fatemur
plus Fortuna potest." [4])

Substituas hoc loco casum: nonne sententia perridicula oritur? Si series causarum, lex aeterna aliquid affert, tum maga confitetur se nihil posse, sed — casum dominari!

Alibi rursus tristis rogat poeta, cur Apollo futurum celet:

---

1) Phars. VII : 733.
2) „ VIII : 21. Cf. de Fortuna infida VII : 685.
3) „ II : 734. 4) Phars. VI : 611.

„Vindicis an gladii facinus poenasque furoris
regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos
ut peragat Fortuna, taces?" [1])

Fortuna igitur iam multis annis ante destinaverat, ut Brutus et Cassius, tyranno occiso, rempublicam ulciscerentur. Quid autem fortuiti in tali Fortuna?

Fortuna praesagia dat

Denique omnis dubitatio, qua ratione poeta fortunam sibi finxerit, tollitur, cum legimus eam fortunam, mirabile dictu, praesagia dedisse, resque futuras per signa aperuisse. Nam die, quo pugna Pharsalica committeretur,

„non tamen abstinuit venturos prodere casus
per varias Fortuna notas." [2])

et paullo post exclamat poeta:

„O summos hominum, quorum Fortuna per orbem
signa dedit." [3])

Erat dogma Stoicorum, rebus ab origine universi constitutis, homines quosdam signis futura posse cognoscere. Fortuna autem, dea inconstantiae, in horam se mutans, casibus repentinis laetans, quo modo futura aperire potest? Quid si, signis datis, interim consilia mutaret? Quis, nisi iocans, non concederet hanc notionem esse „contradictionem in terminis", fortunam autem omnibus his locis esse vim occultam, e lege aeterna omnia constituentem, nihil aliud, ut uno verbo totam rem dicamus, quam fatum, quasi personam inductum?

Perpaucis locis Fortuna pro casu adhibetur.

Sed statim addamus, fortunam nonnullis at perpaucis locis etiam pro casu adhibitam esse; parum elegans certe talis confusio est unius vocabuli, sed in carmine tam festinanter confecto, a poeta vix viginti quinque annos nato, non miranda. Et iam supra demonstravimus etiam fatum bis pro casu adhiberi, qua re nihil clarius demonstrare potest ex perraro usu alicuius vocabuli non in universum significationem illius verbi effici posse.

---

1) Phars. V : 206. Cf. etiam VII : 815: „quocumque Fortuna tuam animam vocabit" etc.

2) Phars. VII : 151.

3) Phars. VII : 205.

Pompeius, e. g. pugnam committere dubitans, militum clamoribus, proelium desiderantium, invitus cedit, sic eos allocutus:

. . . . „Placet haec tam prospera rerum
tradere Fortunae? gladio permittere mundi
discrimen?" [1])

E nexu apparet Pompeium timere casui imperium committere.

Et gubernatori quaerenti, quae litora peteret, Pompeius post cladem fugiens:

„hoc solum toto, respondit, in aequore serva,
ut sit ab Emathiis semper tua longius oris
puppis et Hesperiam pelago caeloque relinquas:
cetera da ventis: comites pignusque recepi
depositum: tum certus eram quae litora vellem;
nunc portum Fortuna dabit." [2])

Hic certe fortuna est caeca fors.

In Pharsalica pugna milites recordantur hostes esse suos ipsorum cognatos familiaresque:

„Vulnera pars optat, pars terrae figere tela,
ac puras servare manus. rapit omnia casus,
atque incerta facit quos vult Fortuna nocentes." [3])

Ex epitheto incerta et verbis antecedentibus satis patet, poetam hoc loco casum sine ratione agentem in animo habuisse. Pompeius autem ipse aliquomodo dubitanter sic Fortunam compellat:

. . . . „non tam caeco trahis omnia cursu,
teque nihil, Fortuna, pudet. [4])

His tribus locis igitur negare non possumus, fortunam significare rerum ordinem fortuitum sive caecum casum.

Fatum et Fortuna non inter se opponuntur.

Ceterum notabile est, poetam cum dubitanter sententias de rerum administratione Stoicorum et Epicureorum inter se opponit, non fatum et fortunam commemorare, sed altera alternatio sic exprimitur:

---

1) Phars. VII: 107. 2) Phars. VIII: 187.
3) „ VII: 487. 4) „ II: 567.

„sive nihil positum est, sed Fors incerta vagatur
fertque refertque vices, et habet mortalia casus." [1])

neque Figulus fortunam commemorat, his verbis sententia Epicurea allata:

„aut hic errat, ait, nulla cum lege per aevum
mundus et incerto discurrunt sidera motu." [2])

quod argumentum est poetam fortunam et fortem incertam non assimilasse neque fortunam et fatum ut notiones inter se oppositas sibi finxisse.

Satis mirabile igitur, quod scriptor satis clarus, in opere delectationis, sed etiam errorum pleno, [3]) sono deceptus, fortunam idem ac fortem esse putavit; sed operae pretium est eius ipsius verba afferre. Sententia Nisardii mirabilis.

„Lucanus," inquit, „deos Graecorum exclusit: cuius rei ei gratias agere debemus. Unumquemque deorum, ab Vergilio et Ovidio ex Homero sumptorum, taedebat, Statio excepto, cui semper deis opus erat, ut originem divinam capillorum eunuchi aut ortum platani amicorum exponeret. Quid autem Lucanus in deorum locum substituit? Fortuna. Quam lepide inuentum! Fortuna dea est, quae causas rerum gestarum exponere spernit, est „dea e machina" semper adhibita ab iis, qui non res intimas, sed modo ab exteriore parte videant, dea, quae semper compensans et expians vitia et stultitiam hominum, eos in proeliis superiores aut victos discedere facit: quam deam alternis vicibus Lucanus sago Pompeii et Caesaris, aut stola pudica Corneliae, aut tunica libidinosa Cleopatrae induit. Fortuna est quasi meretrix impudica, quam omnes milites vicissim amplectantur, est quasi ille truncus ficulnus, deus factus a fabro, qui merdis albis corvorum inquinatur [4]).

---

1) Phars. II : 12. Vocabulum „fors" modo hic et IX : 126 occurrit.

2) Phars. I : 642.

3) Cf. D. Nisard: Études sur les Poètes Latins de la Décadence. Par. Hachette 1888. Vol. II. pg. 146.

4) Respicit auctor ad Horat. Satir. I : 8.

Nihilominus illa Fortuna saepius rivalis et aemula deorum in rebus gubernandis exstat. Dei et Fortuna alternis in scaenam prodeunt, prout metrum desiderat: plerumque a dactylo aut spondeo pendet, num Lucanus deis an fato fidem adhibeat. At plerumque Fortuna nobis se offert, plus quam alii dei invocatur et plus tumultuatur."

Num quis hodie hoc iudicium, quamvis lepide et revera franco-gallice prolatum, amplexabitur? Nescimus quare ille auctor clarissimus nostro poetae misero tam infensus sit, quem per totum opus conviciis insectari non fatigatur, sed vehementer negamus, accurata inquisitione instituta, Lucanum poetam fuisse tam fatuum, ut in carmine altiora spirante, non in comoedia auribus plebis apta, simul duobus numinibus, prorsus inter se repugnantibus, rerum administrationem attribuerit.

Fortuna idem ac fatum significat.

Immo vero iteramus, e locis iam supra laudatis luce clarius patere Fortunam ubicumque in Pharsalia, (tribus locis exceptis) esse aut fatum ipsum, ut deam personalem depictam, aut quasi ministram, fati decreta exsequentem.

Sententia Heitlandii.

Antequam hoc etiam accuratius demonstremus, etiam opinio satis mira auctoris Brittanici commemoranda est,[1]) aliqua dubitatione quidem sic expressa: „Si sententiam satis audacem afferre ausim, dixerim philosophiam Lucani dubitantem eius ancipiti sententia de rerum administratione expressam esse. Mihi fatum et fortuna notiones Stoica et Epicurea videntur: fatum impersonale est, deis praesumptis, Fortuna quasi persona inducitur, ut reliquis deis valedicatur.

Nil mirum igitur, si perraro aut numquam in Pharsalia inter fatum et Fortunam distingui potest: sunt duae informationes diversae eiusdem rei."

Non ita patet, quid auctor doctus dicere velit: si fatum enim et Fortuna idem significant, ut nobis quoque vi-

---

1) Cf. prooemium ab Heitlandio editioni Brittanicae, curante Haskins, praefixum pg. LI.

detur, non expedire possumus, quo modo Fortuna sensu Epicureo, caeci casus, accipienda sit. Sed etiam scriptor Brittanicus vidit, satis absurdum esse, si Fortuna in Pharsalia pro casu accipiatur.

Quaeramus igitur, quo modo fatum et Fortuna, simul commemorata, inter se cohaerere videantur. Quo modo Fortuna et fatum inter se cohaereant.

Caesar, Rubiconem transiturus, Plutarcho auctore, exclamavit: „alea iacta esto"; Lucanus autem, tali opportunitate fati et fortunae inducendae non praetermissa, haec verba ei tribuit:

„Hic ait, hic pacem temerataque iura relinquo:
te, Fortuna, sequor. Procul hinc iam foedera sunto.
Credidimus fatis. Utendum est iudice bello." [1])

Caesar igitur, eratne homo tam stolidus, ut continenti spiritu duo numina plane abhorrentia memoraret? Immo perspicuum est fortunam nihil aliud esse nisi favorem fati: diserte dicit se semper fatis credidisse, atque etiam tunc ea secuturum esse.

Alibi illa numina eidem rei studere videntur: nam Caesare patriae bellum civile inferente Romamque petente, fata rumpunt cunctas pudoris moras, Fortuna autem laborat ut motus illius nefarii ducis iustos reddat.

Alio loco rursus ambo in scaenam prodeunt, utrumque suas partes agens. Summo terrore Romae regnante propter Caesarem appropinquantem, aliquis, (artis consolandi peritus, ut videtur!) magno timori exempla sic quaerit:

„Non alios, inquit, motus tum fata parabant,
cum post Teutonicos victor Libycosque triumphos
exsul limosa Marius caput abdidit ulua.
stagna avidi texere soli laxaeque paludes
depositum, Fortuna, tuum." [2])

Fatis igitur agentibus, res Romanae mutabantur novusque motus parabantur, quibus Marius in exsilium

---

1) Phars. I: 225—6.
2) „ II: 68 cf. II: 131.

pulsus est. Tum autem Fortuna illum unum hominem in paludibus depositum, tuetur.

Fortuna his locis igitur rebus et negotiis unius hominis, fatum magis toti generi humano consulit.

Caesare autem in Aegypto in summo periculo versante, eius Fortuna cum fato totius Aegypti pugnat [1]), quo loco evidenter fortuna et fatum sunt „duo informationes eiusdem rei," sed fatum impersonale, Fortuna personalis fingitur.

Fortuna quasi ancilla fati.

Saepius autem Fortuna quasi ancilla fati videtur, eius mandata conficiens aut minora negotia, a fato imperfecta, ad finem perducens. Cato e. g. Fortunam precatur, si ipse fatis in aliena iura venerit, ut talem victorem det, qualis Iuba fuerit. [2]) Putat igitur, fato cursum rerum discernente, Fortunam res minoris momenti, nempe qualis victor futurus sit, posse constituere.

Alibi rursus Fortunae fatum auxilio venit. Nam pugna Pharsalica commissa, Fortuna non diu.

. . . . „rerum tot pondera vertens,
abstulit ingentes, fato torrente, ruinas." [3])

Et Pompeio fatis deiecto acieque fugato, Fortuna tamen non omnes ministros abstulerat. [4])

Massilia Caesari resistente, „fata tenentur", ita ut Fortuna, „properans unum virum" (nempe Caesarem,) „toti mundo imponere", statim aliquot dies perdat. [5])

Sed imprimis alius locus notabilis est, ubi sententia Lucani perspicua fit. Curio, legatus Caesaris in Africa,

---

1) Phars. X : 3.

2) „ IX : 212.

3) „ VII : 504. Postgate pro „abstulit" coniecit „abstinet", pro „pondera" ct. „pondere vergens", sic explicans: „Fortuna, quae tot rerum pondere impulsa nutabat, fati ruentis et omnia secum trahentis violentiam non amplius continere potuit: Tralatio est a mole redundanti a fluvio victa et aquas iam per se immittente." Cf. Mnemos. 1886 pg. 440.

4) Phars. VIII : 206.

5) Phars. III : 392.

a Fortuna deceptus et occaecatus ab amicis monetur, ut a dolis Africanorum caveat; sed frustra, nam:

. . . . „leti fortuna propinqui
tradiderat fatis iuvenem." [1])

Genetivus leti a fortuna pendere videtur, quae est quasi parca sive sors peculiaris Curionis.

Poeta autem hanc fortunam quasi fati ancillam sibi fingit, quae victimas selectas domino suo tradat.

Et Pothinus, nefarius satelles Ptolemaei, dat consilium domino ut Pompeium prodat:

„dat poenas laudata fides, cum sustinet, iuquit,
quos Fortuna premit: fatis accede." [2])

Non licet igitur homini resistere Fortunae, sed fatis cedere debet. Sunt nonnulli alii loci, ubi fatum et Fortuna una commemorantur, sed Fortuna ibi aliqua significatione peculiari adhibetur, de qua paullo post.

Qualis igitur Fortuna in Pharsalia depingatur.

Ex his omnibus locis sequitur, primo: ut Fortuna in Pharsalia sit vis cogitans, rerum cursum a se constitutum nonnumquam iam antea per signa hominibus significans, dea personalis, humanis affectibus praedita resque imprimis hominum singulorum curans; secundo: ut Fortuna et fatum, quamquam rei natura notiones plane inter se abhorrentes, apud Lucanum numquam inter se pugnent, numquam collidant, sed semper idem studeant, „idem velle atque idem nolle" videantur.

Quam ob rem Fortuna sic inducatur.

Neque latet quam ob rem poeta ad tam mirum inventum, ut Fortuna quasi fati ancilla depicta sit, confugerit. Deis ipsis, agentibus et intervenientibus, reiectis, omnique potentia fato tributa, poeta statim intellexit, meram notionem philosophicam ut deum personalem inducere esse satis frigidum: nihilo minus ingenio rhetorico et Hispaniensi poetae opus erat aliquo numine, quod invocare et obiurgare posset, et in quod culpam Pompei pessumdati liberaeque reipublicae amissae conferret, ita ut, hominibus in vita quotidiana sine magno aut ullo dis-

1) Phars. IV: 737. 2) Phars. VIII: 485.

crimine de suo fato aut fortuna loquentibus, Fortunae modo partes fati tribueret, modo quasi ancillam, iussa fati conficientem induceret.

Etiam alii poetae fatum et fortunam assimilaverunt.

Neque Lucanus primus has notiones sic confudit; nam, ut usum vulgarem omittamus, iam Vergilius ambo vocabula uno versu sine ullo discrimine adhibuit, his verbis Euandro, conditori Romanae arcis, tributis:

„Me pulsum patria pelagique extrema sequentem
fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
his posuere locis." [1])

Manilius autem de Carthagine deleta exclamat:

„Hoc nisi fata darent, numquam Fortuna tulisset." [2])

quo loco Fortuna igitur a fato pendet.

Num dei Fortunam constituant.

Restat ut quaeramus, num quid dei in Fortunam constituendam valeant, necne. Quae sane, primo aspectu, apud alium auctorem satis mira quaestio esset: si vero constat, Fortunam esse fatum personale, fatum autem a deis sive a deo constitui atque ordinari, sequitur ut aliquomodo certe Fortuna cum deis cohaereat. Et contra, si e carmine patet deos Fortunam gubernare, novum argumentum erit fatum et Fortunam promiscue a poeta adhibita esse.

Nonnumquam Fortuna et dei mire confunduntur. Ille homo pius, Cordus, qui corpus Pompeii humat ad Superos fatur:

„Non pretiosa petit cumulato ture sepulchra
Pompeius, Fortuna, tuus." [3])

Ptolemaeum poeta iratus vocat „pudorem Fortunae crimenque deorum", [4]) et saepius a deis ratio de Fortunae actionibus poscitur, culpaque Fortunae in deos confertur. Militibus Caesaris et Pompeii invicem in Hispania amicitiam conciliantibus, sed postea se invicem perfidiose interficientibus, illud facinus nefarium Fidei crimen

---

1) Verg. Aen. VIII : 333.
2) Manil. Astron. IV : 49.
3) Phars. VIII : 729.
4) Phars. V : 59.

datur, quod, si Fortuna fecisset, summum odium in deos attulisset:

. . . . . „et quae Fortuna deorum
invidia caeca bellorum in nocte tulisset,
fecit monstra fides." [1])

Et Fortuna Caesarem deserente sed rursus redeunte, „dei veniam meruere."

Pompeius autem felix erat, quamdiu dei propitii erant, deis tamen inimicis factis, Fortuna, quasi eorum delegata, saeva manu eum pessumdat [2]).

Milites Caesaris quoque putant Fortunam a deis pendere, nam Caesari summis periculis ex Italia redeunti, post illam noctem memorabilem, sic obiciunt temeritatem, qua favorem deorum in discrimen det beneficiisque abutatur:

. . . . . „Tantum quid numina lassas?
sufficit ad belli summam favor iste laborque
Fortunae, quod te nostris impegit arenis?" [3])

Caesar autem Fortunam et deos eodem loco ponere videtur, sic piscatorem paventem, qui eum parvo navigio mare Adriaticum turbulentum transvehit, adhortatus:

. . „sola tibi causa haec est iusta timoris,
vectorem non nosse tuum, quem numina numquam
destituunt, de quo male tunc Fortuna meretur,
cum post vota venit." [4])

Alibi rursus, Fortuna ut ministra deorum, consilia atque decreta divina conficiens, depingitur; prorsus ut aliis locis supra laudatis est fati ancilla. Nam oraculum Pythium, recusans futura aperire, rogat poeta num consulto taceat, ut Fortuna annis labentibus concilia praedestinata perficiat, et Brutum Cassiumque ultores reipublicae afferat. [5]) Fortuna quoque deis, qui provident ne

---

1) Phars. IV: 243. De vocabulo „monstra" sic usurpato cf. etiam X: 337.

2) Phars. IV: 123. VIII: 705 sq. 3) Phars. V: 695.

4) „ V: 581. 5) Phars. V: 200—208.

patria sanguine sui Pompeii maculetur, [1]) hoc nefas ab Italia removendo, morem gerit. Uno loco autem munera inter se partiri videntur; nam militibus Caesaris silvas sacras Massiliensium caedentibus, incolae gaudent, opinantes deos non impune laedi, Caesaremque punituros esse: sed poeta ipse summa animi perturbatione exclamat:

. . . . „Servat multos Fortuna nocentes
et tantum miseris irasci numina possunt." [2])

Fortuna igitur homines strenuos impigrosque, qualis Caesar est, servat, etiamsi noxii sunt; sed dei, avidi victimarum, miseros et timidos, a Fortuna desertos, pessumdant!

Ubicumque igitur Fortuna et dei una commemorantur, hoc uno loco excepto, illa ab iis gubernari, aut iis praesto esse videtur; ex quo igitur rursus sequitur, ut his locis Fortuna casus non esse possit, sed aliquod genus fati sit, ut iam supra demonstratum est.

Quam ob rem autem poeta tam mire Fortunam cum deis coniunxit? Satis probabile est eum etiam hac in re usui vulgari consentire. Homines fortunam in ore habebant, vim obscuram omnia regentem: quis autem fortunam constituerat? Statim homines, vetere superstitione imbuti, confugiebant ad deos.

Aliae significationes Fortunae.

Sed ita ut fatum, etiam Fortuna permultis significationibus in Pharsalia occurrit. Sic ponitur saepissime pro successu sive prosperitate, qua sententia etiam de „priori fortuna" agi potest. Pompeius e. g. „multum credebat priori fortunae", et Afranius, etiam victus, „inter priorem fortunam et novos casus" se fortem praebuit [3]). Cato autem, illa nobilissima et pulcherrima oratione funebri habita, Pompeium sic laudat:

„Casta domus, luxuque carens, corruptaque numquam
fortuna domini." [4])

---

1) Phars. II: 732—36. 2) Phars. III: 448. 3) Phars. I: 135; IV: 342.
4) „ IX: 201 cf. II: 94, II: 264, III: 21, IV: 402, VIII: 31, IX: 1084.

Satis notabilia sunt verba, quibus poeta, virtutem singularem Catonis laudans, contendit omnia illa facta fortia et splendida antiquorum temporum revera magis fortunae sive rebus secundis tribuenda esse.

. . . . „Si veris magna paratur
fama bonis et si successu nuda remoto
inspicitur virtus, quidquid laudamus in ullo
maiorum, Fortuna fuit." [1])

Alibi fortuna significari videtur eventus rerum [2]) aut dignitas [3]), nam si Annaeus aliquod verbum desiderat, statim fati aut fortunae auxilium invocat.

Saepissime agitur de fortuna alicui propria, cum genetivo aut pronomine possessivo coniuncta, quibus locis fortuna aut pro dea personali aut pro successu accipi potest: nam vocabulum inter utramque significationem nutat.

Fortuna, quasi genius, homines comitans.

Antiqui, ut notum est, unum quemque virum suum genium vitam curantem et dirigentem, habere putabant. Vicissim Caesar et Pompeius maximam fiduciam in Fortuna quasi genio suo collocant [4]). Caesar, e. g., illa nocte memorabili transvehitur in Italiam, sola Fortuna comitatus, ab ea summis in periculis relinqui videtur, sed tacta tellure, Fortunam suam recepit [5]). Milites irati et seditiosi Caesari palam obiciunt, quod merita ipsorum non agnoscat, sed omnem gloriam, ipsorum virtute partam, suae Fortunae tribuat [6]).

Sed admodum apta ad miserationem movendam sunt verba ipsius Pompeii, post cladem Lesbum fugientis ad coniugem, quam consolari conatur, quod ipse non sit occisus:

. . . . „Vivit post proelia Magnus,
sed Fortuna perit." [7])

---

1) Phars. IX : 593. 2) Phars. I : 393.
3) „ V : 506, VII : 818.
4) „ V : 302, V : 354, VII : 649.
5) „ V : 677. 6) Phars. V : 292. 7) Phars. VIII : 84.

Cuius significationis plura exempla occurrunt, quam afferre iuvat. [1]).

His locis igitur poeta, Fortuna ut dea aut genio aliquem comitante informata, plane cum sententia vulgari convenit: etiam nos saepius loquimur de „nostra fortuna."

In universum, opinio vulgaris de Fortuna permultum apud poetam valuisse videtur, mire confusa et mixta cum notionibus philosophicis.

---

1) Phars. III : 169, V : 302, VII : 547, VII : 601, VII : 649, IX : 243.

Nonnumquam Fortuna etiam pro sorte ponitur, cf. V : 752, VII : 150. IX : 1084.

CAPUT IV.

Quid Lucanus de Divinatione, de Prodigiis, de Oraculis senserit.

Num Lucanus de divinatione Stoisset. — Sententia Stoicorum de divinatione. — Lucanus res futuras praenosci posse putat. — Qui prodigia mittant. — Divinatio apud Lucanum. — Lucanus saepius oracula commemorat. — Oraculum Iovis Ammonis. — Quo modo verba Catonis accipienda. — De somniis in Pharsalia. — Necyomantia in Pharsalia. — Quid Lucanus de divinatione etc. senserit.

Num Lucanus de divinatione Stoisset.

In capitibus antecedentibus demonstrare conati sumus, poetam, quod ad Deos fatumque pertinet, Stoissare. Si autem apparuerit, Lucanum summam fidem divinationi oraculis ominibusque adhibuisse, Epicureis, scepticis aliisque scholis philosophorum scientiam futurarum rerum negantibus et deridentibus, maximum argumentum erit, Nostrum etiam hac in re, in summis certe, castra Stoicorum petivisse.

Sententia Stoicorum de divinatione.

Quippe cum Stoicorum doctrina de fato arctissime cohaeret divinatio. Sic enim argumentabantur, teste Quinto, Ciceronis fratre, qui doctrinam Stoicam defendit: Si omnia, quae fiant, fato praedestinata sunt, nec quicquam factum est, quod non futurum fuerit, sequitur ut „observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur." [1]) Et alibi dixit ille Quintus: „Ut in

---

1) Cic. de Divin. I : 55 : 126.

De doctrina Stoicorum, quod ad Divinationem pertinet, sequimur hos auctores:

C. Wachsmuth: Die Ansichten der Stoiker über Mantik und Daemönen. Berl. 1860.

seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis progignuntur, sic in causis conditae sunt res futurae, quas esse futuras aut concitata mens aut soluta somno cernit aut ratio aut coniectura praesentit." . . . . . „Haec quidem et quaedam eiusdem modi argumenta, cur sit divinatio, ducuntur a fato." [1])

Divinatio autem iis maximo argumento erat, deos esse rebusque humanis consulere, ut Cicero ad fratrem dixit: „Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quinte, defendis, siquidem ista sic reciprocantur, ut, et si divinatio sit, dei sint, et si dei sint, sit divinatio." [2])

Etiam hac in re Stoici placita philosophorum opinionibus vulgaribus accommodare studebant. Non enim, ut vulgus [3]), credebant deos per miracula hominibus quibusdam res futuras aperire, sed docebant esse duo genera divinationis, unum, quod particeps esset artis, alterum, quod arte careret: illud genus est divinatio per extispicium, monstra, fulgura, signa coelestia, astrologiam, hoc per somnia aut vaticinationes. [4])

Stoici igitur persuasum habent, omnia cum fato fiant, „si quis mortalis possit esse, qui colligationem causarum omnium perspiciat animo, fore profecto ut nihil eum fallat. Qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quae futura sint. Quod cum nemo facere nisi deus possit, relinquendum est homini, ut signis quibusdam consequentia declarantibus futura praesentiat" etc. [5]).

Quam multum autem revera ab opinione vulgari recesserint, iam e Senecae verbis lucet: „Nimis illum deum otiosum et pusillae rei ministrum facis, si aliis somnia,

---

E. Zeller: Philos. der Griechen. III. pg. 336—345
O. Heine: Stoicorum de fato Doctrina. pg. 49—52.
F. Ogereau: Système Philosophique des Stoiciëns. pg. 256—259.
1) Cic. de Divin. I: 56: 128. 2) Cic. de Div. I: 6: 10.
3) Xen. Cyrop. I: 6: 46. 4) Cic. de Div. I: 6: 12.
5) Civ. de Divin. I: 56: 127.

aliis exta disponit; ista nihilominus divina ope geruntur, sed non a deo pennae avium reguntur, nec pecudum viscera sub ipsa securi formantur. Alia ratione fatorum series explicatur, indicia venturi ubique praemittens, ex quibus nobis quaedam familiaria, quaedam ignota sunt. Quidquid fit, alicuius rei futurae signum est: fortuita, et sine ratione vaga, divinationem non recipiunt. Cuius rei ordo est, etiam praedictio est." etc. [1]) Supra iam dixerat: „Hoc autem inter nos et Tuscos, quibus summa persequendorum fulminum est scientia, interest. Nos putamus quod nubes collisae sunt, ideo fulmina emitti. Ipsi existimant, nubes collidi, ut fulmina emittantur." [2])

Satis mirabile ut fides oraculorum ominumque animis Romanorum inhaesisse videatur, nam fere omnes rerum scriptores, quamvis aliis in rebus increduli, tamen signa et prodigia commemorant; quin ipse Tacitus, qui maxime a superstitione abhorret, miraculo aliquo narrato, addit, ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderit, ita vulgatis traditisque demere fidem se non audere. [3]).

His igitur praemissis, videamus num Lucanus quoque fidem divinationi prodigiisque adhibeat.

Lucanus res futuras praenosci posse putat.

In Pharsalia saepissime prodigia, omina, oracula, somniaque commemorat, et diserte affirmat homines res futuras scire posse. Cum enim milites clamoribus proelium poposcissent Pompeiusque invitus pugnam Pharsalicam committere decrevisset, Fortuna venturos casus per multas notas prodere non abstinuit: [4]) totus aether venientibus obstitit, signa vix solo revulsa lacrimis rorant, victima ab ara fugit, multisque aliis prodigiis enumeratis rogat poeta:

---

1) Sen. Quaest. Nat. II : 32.
2) Ibidem. Totum caput perlegere operae pretium est.
3) Tacit. Hist. II : 50.
4) Phars. VII : 151 sq.

„quid mirum populos, quos lux extrema manebat
lymphato trepidasse metu, praesaga malorum
si data mens homini est." [1])

Etiam in terris remotis, in Euganeo colle haud procul a Patavio, aliquis augur e signis aliquid diri fieri sentit:

„dissimilem certe cunctis quos explicat egit
Thessalicum natura diem: si cuncta perito
augure mens hominum coeli nova signa notasset,
spectari toto potuit Pharsalia mundo. [2])

Haec omnia plane cum Stoicorum placitis conveniunt, qui animos quorundam permotos cernere posse censent, quae alibi, locis remotissimis, fiunt. Etiam initium belli civilis multis signis nuntiatur, deique irati, ne qua spes mentes trepidas levet, futurum aperiunt, et „prodigiis terras, aethera, pontum implent." [3])

Nam polus flammis ardet, cometes, qui imprimis apud antiquos [4]) (et etiam hodie apud populos barbaros) mala ominari videbatur, apparet, fulmen micat per coelum serenum, Aetna ignea flumina eicit, ignisque arae Vestalis exstinguitur. [5])

Qui prodgia mittant.

Quis autem illa prodigia mittit? Poeta minime dubitat, nam ominibus narratis dixit:

„Iamque irae patuere deum manifestaque belli
signa dedit mundus." [6])

Dei igitur suam iram aperiunt et prodigia mittunt quae poetae argumentum sunt irae deorum. Sed tum per breve tempus poeta castra Stoicorum deserit, et dolore tantarum calamitatum, quae instare videbantur, commotus, scientiam futuri exsecratur:

. . . . „Cur hanc tibi, rector Olympi,
sollicitis visum mortalibus addere curam
noscant venturas ut dira per omina clades?" [7])

---

1) Phars. VII : 185.
2) Phars. VII : 204.
3) „ I : 525.
4) Plin. Maior. II : 92.
5) „ I : 526—583.
6) Phars. II : 1.
7) „ II : 4 sq.

Mirum quantum illa verba cum sententia nostrae aetatis conveniant, esse summum bonum res futuras huius vitae miserae nescire. Sed parum Stoice dictum est, quod optime demonstrat opiniones Lucani saepissime fluctuare, cum modo philosophiam amplexatur, modo deserit.

Divinatio apud Lucanum.

Non modo per prodigia res futuras aperiunt dei, sed etiam extis victimarum fulminibusque voluntatem suam significant [1]). Multis versibus Lucanus narrat, quomodo Aruns, haruspex Tuscus, Romam arcessitus, „fulminis edoctus motus venasque calentes fibrarum et monitus volitantis in aere pennae," [2]) urbem lustraverit, victimam sacrificaverit, exta inspexerit, pessimaque signa acceperit. Tum Figulus astrologus, „cui cura deos secretaque coeli nosse fuit," e stellis maxima mala praedixit. [3])

Erichtho quoque astrologiam agnoscit, sed iactat suam artem etiam siderum potentiam posse superare [4]).

Statim in oculos incurrit, Lucanum, qui omnibus de rebus divinis tam saepe dubitet, de hac futuri scientia numquam ullum verbum dubitans in medium proferre, quod argumentum ex silentio apud talem poetam maximi momenti est, satisque probat eum firmam fidem divinationi adhibuisse.

Lucanus saepius oracula commemorat.

Neque oracula memorare omittit; immo origine oraculi Delphici tradita, permultis versibus narrat, quo modo Appius Pythiam sciscitetur. Ille vir fortis enim „solus

---

1) Quo modo Stoici hanc divinationem explicent, e verbis Ciceronis patet: „Sed non placet Stoicis, singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum; neque enim decorum est nec dis dignum nec fieri ullo pacto potest; sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis, alia in avibus etc." cf. De Divin. I : 52 : 118 cf. Senecam supra laudatum.

2) Phars. I : 587.

3) Cf. Phars. I : 589—672. cf. etiam Tacit. Ann. VI : 22. „Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur." Quae verba Taciti demonstrant quam magnam fidem vulgus primi saeculi p. C. n. arti astrologiae adhibuerit.

4) Phars. VI : 607—10.

in ancipites metuit descendere eventus", quam ob rem „Delphica penetralia fatidici Phoebi multos per annos obducta reserit." [1])

Tum poeta quaerit, quae vis divina Pythiam spiritu afflet incitetque ad futura hominibus significanda. Iam supra, capite primo, demonstratum est hac in re exponenda Lucanum omnino cum Stoicis convenire: nam suspicatur illam vim esse „magnam partem Iovis, connexam aetherio Tonanti." [2]) Ubi virgineo pectore conceptum est hoc numen, humanam feriens animam, ora vatis solvit.

Hactenus omnia vere philosophica, sed dolet confiteri ea, quae sequuntur, magis comoedia Plautina, quam carmine res graves canente, digna esse! Et statim apparet, unde haec discrepantia. Cum enim summopere poeta cavisset, ne, deis vulgaribus cum hominibus agentibus inductis, in probabilitatam peccaret, ipse hac in re certe normam artis poeticae violavit, iis rebus in praesenti tempore narratis, quae omnino cum sua aetate pugnabant, idque eo modo, ut prorsus carmine indignum sit.

Appius enim, oraculum consulturus, sacerdotem templi adit iubetque „pavidam vatem deis inmittere." Virgo autem non domi est, sed „Castalios circum latices nemorumque recessus", curis vacans, ambulat. [3]) Post tam longum otium minime puellae rursus illum laborem suscipere libet, non magis quam puer libenter in scholam revertitur, sed conatur, ut mos est mulierum, Appium cassa fraude ab ardore futura noscendi absterrere. Frustra autem, nam dolis virginis detectis, misera puella passis crinibus, et infula ornata, in templum impellitur; sed etiam tum fallere conatur, nam in prima parte templi resistit et furore simulato verba ficta quieto pectore refert. Tum Appius furibundus, quod se ludibrio

---

1) Phars. V : 67 sq.

2) „ V : 95 i. e. aetheris partem in cavernis terrae inclusam. Locus pg. 36 adlatus est.

3) Phars. V : 120 sq.

haberi animadvertit, virgini poenas meritas minatur, nisi antra sacra intret. Minis perterrita ad tripoda confugit et insueto pectore numen concepit, Appolline post tam multa saecula vati se ingerente. Demens per antrum bacchatur, horrore repleta: sed parum iuvat, nam non omnia, quae scit, prodere licet. At post omnem illam rabiem vaesanam, gemitum maestum ululatumque, Appius nihil aliud comperit nisi hoc, quod bellum civile vitaturus et quietem Euboeae obtenturus sit! [1]). Nonne poeta fere iocari videtur, mira narratione de fraude et dolis Pythiae tradita, omnino a gravitate et maiestate oraculi abhorrente? Attamen bene notandum poetam, qui tam saepe dubitet, neque hic neque in sequentibus potentiam et efficacitatem oraculi in ullam dubitationem vocare. Immo oraculum summis laudibus extollit talibus verbis, qualia vix a Lucano exspectaremus.

„Hoc tamen expositum cunctis nullique negatum
numen ab humani solum se labe furoris
vindicat; haud illic tacito mala vota susurro
concipiunt. nam fixa canens mutandaque nulli
mortales optare vetat. . . . . .
. . . non ullo saecula dono
nostra carent maiore deum quam Delphica sedes
quod siluit, postquam reges timuere futura
et superos vetuere loqui." [2])

Sexto Pompeio autem, filio patre indigno, qui stimulante metu fati cursus praenoscere cupit, crimini dat, quod tripodibus Deli et antris Pythicis oraculoquo Dodonae spretis, et coelo servando sideribusque inspiciendis abstinens,

„aut si quid tacitum sed fas erat," [3])

mavelit arcana detestanda magarum consulere: aperte igitur divinatio legitima et laudanda opponitur diris et

---

1) cf. Phars. V: 120—224. 2) Phars. V: 102 sq, 111 sq.
3) Phars. VI: 430.

nefastis secretis artis magicae. Tum Sextum illudens, addit poeta ironice:

. . . . . „miseroque liquebat,
scire parum superos." [1])

Oraculum Jovis Ammonis.

Neque minore religione de oraculo Iovis Ammonis agit. Milites enim Pompeii, Catone duce, per deserta Africae iter facientes, Catonem orant ut illud oraculum de futuro consulat. Verba Labieni, „maximi hortatoris scrutandi voce deorum eventus", quamquam satis multa, digna sunt quae afferantur, quod sententiam vulgarem optime exprimunt.

. . . . . „Sors obtulit, inquit,
et fortuna viae tam magni numinis ora
consiliumque dei: tanto duce possumus uti
per Syrtes bellique datos cognoscere casus.
nam cui crediderim superos arcana daturos
dicturosque magis quam sancto vera Catoni?
certe vita tibi semper directa supernas
ad leges sequerisque deum. datur ecce loquendi
cum Iove libertas: inquire in fata nefandi
Caesaris et patriae venturos excute mores:
. . . . . .
quaere quid est virtus et posce exemplar honesti." [2])

Quomodo verba Catonis accipienda.

Summam admirationem movet responsum Catonis: ille princeps Stoicorum, quo nemo magis placitis Zenonis imbutus erat, et magis rationem vitae ad eius philosophiam instituerat, ille Cato totidem verbis oracula spernit, omni auctoritate iis abiudicata!

Locus est concelebratus et omnibus temporibus ab unoquoque laudatus, e tota Pharsalia sine dubio clarissimus. Quamquam supra, alio nexu, partim iam laudati sunt, liceat hos versus, perspicuitatis causa rursus hic afferre. Cato respondet:

„quid quaeri, Labiene, iubes? an liber in armis
occubuisse velim potius quam regna videre?

---

1) Phars. VI: 433. 2) Phars. IX: 550.

an sit vita nihil, et longa? an differat aetas?
an noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat
opposita virtute minas? laudandaque velle
sit satis, et numquam successu crescat honestum?
scimus et haec nobis non altius inseret Hammon.
haeremus cuncti superis, temploque tacente
nil agimus nisi sponte dei: nec vocibus ullis
numen eget: dixitque semel nascentibus auctor
quidquid scire licet: steriles nec legit arenas
ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:
estque dei sedes, ubi terra et pontus et aer
et caelum et virtus. Superos quid quaerimus ultra?
Iuppiter est quodcumque vides, quodcumque moveris.
sortilegis egeant dubii semperque futuris
casibus ancipites: me non oracula certum,
sed mors certa facit. pavido fortique cadendum est:
hoc satis est dixisse Iovem." [1])

Quid igitur? Num Stoici oraculis fidem abiudicabant? At et multis aliis et locis iam supra laudatis apparet, Stoicos divinationem et oracula maximi fecisse. An Cato hac in re sententiam Epicureorum et scepticorum, oracula contemnentium, secutus est? Quid autem magis absurdum et ridiculum fingi potest, quam illa suspicio, Catonem castra Epicuri petivisse? Sed tertium datur: per totum carmen enim Lucanus illum Stoicum durum et austerum sic depingit, ut nonnulli scriptores a se quaesiverint, ecquid Cato fortasse tamquam heros Pharsaliae primas partes agat, carmenque ad eum laudandum confectum sit. [2]) Quamquam illa sententia haud probanda videtur, non negandum est Catonem a poeta deis ipsis anteponi; [3]) et paullo post illud responsum Catonis, de oraculo datum, exclamat Noster:

„ecce parens verus patriae, dignissimus aris

---

1) Phars. IX: 566 sq. vrs. 580 fortasse leg. „quocumque moveris."
2) cf. Heitland pg. LX.
3) Cf. locum iam laudatum: „victrix causa deis placuit, sed victa Catoni."

Roma, tuis, per quem numquam iurare pudebit
et quem, si steteris umquam cervice soluta,
nunc olim factura deum." [1])

Quid igitur? Catone depingitur ut Stoicus gregarius? Minime, sed ille vir, „deo plenus, quem tacita mente gerebat", poetae tam excelsus videtur, tanto superior hominibus vulgaribus, ut oracula, quibus dubii et timidi egent, ille respuere possit. Putat illum virum, qui iam per se virtutem amet honestumque colat, indicia deorum reicientem, etiam magis ceteris hominibus praestare videri, eiusque virtutem eo modo etiam magis oculis incurrere. Haec igitur causa esse videtur, cur Lucanus illam opinionem de oraculis Catoni attribuerit eumque a sua ipsius doctrina dissentientem induxerit. Hac in re certe poetae non obiciendum, quod de oraculis sibi non constet.

De somniis in Pharsalia.

Sed praeter prodigia, omina oraculaque, quae omnia etiam in Pharsalia commemorantur, Stoici, vulgo assentientes, putabant somniis quoque futura posse praenosci. [2]) Quod sine dubio Lucanum adduxit ut somnium, res futuras significans, narrationi intexeret; sed imprimis hoc loco ingenium Hispanum, horrida atque inaudita captans, apparet.

Pompeius enim Italia decedens et in Epirum fugiens, oculis in patriam fixis, quam numquam rursus aspecturus esset, paullatim somno soporifero opprimitur. Tum Iulia, filia Caesaris priorque uxor, ex inferis surgere visa, ut altera Erinys maritum verbis minacibus terret. E campis Elysiis ad Stygias tenebras tracta, enumerat, quae terribilia in inferis viderit, monet eius fortunam toris esse mutatam, et verbis, Iulia omnino indignis, ei maligne obiciens,

---

1) Phars. IX : 601 sq.

2) Cic. de Divin I : 6 : 12. I : 57 : 129, Aristoteles, quin etiam Plinius Maior vim fatidicam somniorum agnoverunt. Cf. Friedländer: Sittengeschichte III pg. 532—38, qui multa valde notanda affert.

quod pellex Cornelia, fato semper damnata maritos in cladem detrahere, (prius quam Caesari nupserat, fuerat uxor Crassi,) torum occupet, sic imprecatur:

„haereat illa tuis per bella per aequora signis,
dum non securos liceat mihi rumpere somnos,
et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
sed teneat Caesarque dies et Iulia noctes." [1])

Tum, omnibus malis praedictis, evanescit imago.

Nonne statim in mentem veniunt verba Didonis, cum moriens Aeneae minatur:

„omnibus umbra locis adero." [2])

Quamquam non negandum ea visione optime esse depictam invidiam et aemulationem uxoris, etiam post mortem amantis, tamen totus locus admodum displicet, femina nobili in maritum infelicem furente, idque sermone magis alicui meretrici reiectae e Suburra accommodato, quam matronae Romanae, etiamsi inferis recepta est!

At historia ipsa docet illud somnium, a Lucano fictum, quo animus Pompeii turbatus et poenitentia praeteriti temporis optime significatur, maxime cum probabilitate convenire. Nam statim recordamur illius visionis, qua Iosephina, misera uxor repudiata Napoleontis primi, ultima nocte ante proelium apud Waterloo commissum, marito in somno apparere, eique praeterita obiciens, exitum funestum praedicere videbatur. Mirum ut haec somnia, alterum saeculo primo, alterum saeculo undevicesimo narratum, inter se congruant! [3])

Necyomantia in Pharsalia.

Denique aliud genus divinationis a Lucano commemoratur, nempe necyomantia, longissima digressione plus quam quadringentorum versuum de artibus magicis sagae cuiusdam Thessalae inserta. Sextus enim, nefarius

---

1) Phars. III: 24—27, cf. 1—35. 2) Vergil. Aen. IV: 386.

3) Etiam aliud somnium Pompeii in Pharsalia occurrit, fortasse unus e pulcherrimis locis totius carminis; sed nulla re praedicta, nihil cum argumento nostro commune habet; cf. VII: 7—44. Etiam rerum scriptores hoc somnium commemorant cf. Plut. V. Pomp. c. 68.

filius Pompeii, omnibus modis divinationis legitimis spretis, magam Erichthonem, quae vim deis facere possit, adit, ut futura sibi aperiat. Multis et mirificis sed parum venustis de saga narratis, Erichtho respondit se facile hominem mortuum ab inferis excitaturam esse, qui futuras res aperiret.

Aliquod cadaver eligit, per scopulum in antrum suum trahit, pectora mortui sanguine supplet, large virus lunare ministrat, multis aliis rebus, spuma canum, visceribus lyncis, medulla cervi mixtis, deosque dire excantat, ita ut mortuus paulatim sed invitus in vitam redeat, et a saga iussus futura significare, singulatim narret quae in inferis viderit; futuris rebus praedictis, iterum moritur.

Quid iam poetae propositum his rebus narrandis erat? Suamne ipsius sententiam de inferis promit? Illa necyomantia certe non cum doctrina Stoicorum, qui hac de re nihil docebant, sed cum opinione vulgari cohaeret: nam satis constat sub Imperatoribus saepissime illam detestabilem ex inferis evocationem secreto factam esse; quin homines, imprimis servi et parvi liberi eam ob rem necati esse dicebantur, quod ars magica plurimum in eos valeret,[1]) qui violenta aut matura morte perierant. Prorsus ut hodie nonnulli e praestigiis hominum quorundam, qui simulent se commercium habere cum umbris mortuorum, summam delectationem percipiunt, etiam Romani libenter talibus arcanis diris et exsecrabilibus credebant.

Suetonius [2]) narrat Neronem, sacro per Magos facto, matris manes evocare et exorare temptasse; etiam ex aliis locis apparet eum, ab Tiridate initiatum, summa libidine se artibus magicis dedisse. Doctissimus Fried-

---

1) Cf. de Erichthone VI: 529 sq, 556—61, 705—10, „exaudite preces, si quis, cum vestris caput extaque lancibus, infans, imposuit, victurus erat."

2) Cf. Suet. V. Ner. C. 34.

laenderus [1]) eam ob rem putat Lucanum totum hunc excursum ad odium in Neronem conflandum inseruisse, expositis illis sacris, quibus constabat Imperatorem summopere delectari.

Nobis quidem, digressione diligentius perlecta, haec suspicio satis longe petita esse, et res longe aliter se habere videtur. Nam ut iam supra dictum est, deis miracula facientibus abrogatis, poeta aliis mirificis sibi opus esse intellexit, ut lectorem Romanum, talibus assuetum, delectaret: hoc consilio et illas convulsiones et rabiem Pythiae, ab Appio consultae, et has diras artes magicas Erichthonis, horrorem incutientes, et illam mirabilem mortem Scaevae centurionis tam multis versibus depinxit. Ex illa narratione igitur de anima ex inferis evocata, non putamus quidquam de Lucani ipsius sententia posse effici; nam est amplificatio poetica.

Quae igitur poetae sententia de divinatione est? Per totum carmen prodigia, omina, oracula, uno loco somnium, commemorat, neque umquam ea in dubitationem vocat. Lucanus igitur scientiam rerum futurarum efficacitatemque divinationis et oraculorum sine dubio agnoscit, omnino etiam hac in re cum Stoicis conveniens, qui specie opinionibus vulgaribus se accommodantes, revera res ipsas aliter accipiebant.

Quid Lucanus de divinatione etc. senserit.

---

1) „Sittengeschichte" III pg. 710 sq. et locos ab eo laudatos.

CAPUT V.

Quid Lucanus de morte, de rerum fine, de inferis senserit.

Mors aenigma vitae mortalis. — Sententia Stoicorum de morte. — Senecae et aliorum sententia. — Lucanus cum vulgo convenire videtur. — Saepissime poeta de manibus, de umbris agit. — Informationem vulgarem de inferis saepius commemorat. — Sententia poetae de fine rerum. — Nonnumquam Lucanus de vita post mortem dubitat. — Migratio animae Pompeii. — Saepius mors summum bonum videtur. — Lucani sententia de mortis felicitate. — Poetae sententia de morte voluntaria. — Conclusio. — Quid Lucanus de rebus divinis et humanis senserit.

Mors aenigma vitae mortalis.

Constat etiam antiquis, ut nobis quoque tam multis saeculis postea viventibus, maximum aenigma fuisse nostrae vitae mortalis, quis sit status hominum post mortem. Et multi homines, de die in diem viventes, quamquam fere quotidie aliquis cognatus aut amicus aut familiaris a saeva morte eripitur, hanc quaestionem tam praesentem parum curare videntur: immo stomachantur alicui hanc rem proponenti, sententiam Horatii probantes: „quid cras futurum sit, fuge quaerere."

Etiam Lucani aequales, miseria et saevitia temporum obruti, leviter statum post mortem contemplati esse videntur, teste Tacito, Plinio, Suetonio aliisque; nam ratiocinabantur aut post mortem nihil esse, quod, si ita esset, quies malorum iis videbatur, aut vitam futuram certe non miseriorem esse quam hanc terrestrem.

Sententiae Stoicorum de morte.

Stoici ipsi hac de re tam gravi inter se dissensisse videntur. Est quidem dogma Stoicum hunc mundum et totum universum aliquando igni periturum esse, Iovem

tantummodo, id est animam mundi esse immortalem,[1]) putabant autem animas mortuorum, quippe quae pars animae mundi essent, usque ad illam „ἐκπύρωσιν" durare: sed ipsis nescientibus, quot saeculis post illa conflagratio futura esset, fere idem erat, ac si hominibus timidis immortalitatem pollicerentur.[2]) Alii rursus censebant modo sapientis animam post corporis mortem vivere, reliquorum animis statim exstinctis, alii denique omnino mortuis vitam abiudicabant, hac in re cum atheis sentientes.

Senecae et aliorum sententia.

Seneca imprimis sibi non constat, multis locis immortalitatem credere videtur et affirmat „hoc corpus non domum, sed hospitium et breve quidem hospitium esse," „diem extremum esse aeterni natalem," neque his verbis clarius sententiam exprimere possit: „Cum venerit dies ille, qui me mixtum divini humanique secernat, corpus hîc, ubi inveni, relinquam, ipse me Dis reddam, per has mortalis vitae moras illi meliori vitae longiorique proluditur;" ne Christianus quidem matrem dolentem verbis magis excelsis consolari posset, quam Seneca Marciam de filio amisso lugentem: „Imago dumtaxat filii tui periit, ipse quidem aeternus meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus alienis et sibi relictus, ... excessit filius tuus terminos, intra quos servitur, excepit illum magna et aeterna pax."[3])

---

1) Seneca. Dial. VI : 26 : 6. „Cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent, et sidera sideribus incurrent et omni flagrante materia uno igne quidquid nunc ex disposito lucet ardebit." Cf. Nat. Quaest. III : 13 : 2.

2) Cf. Cic. Tusc. I : 31 : 77 „Stoici autem usuram (sc. vitae) nobis largiuntur tamquam cornicibus; diu mansuros aiunt animos, semper negant."

3) Cf. Seneca Epist. 120 : 14, 102 : 26, 102 : 22, 92 : 13; ad Helv. 11 : 7. Cons. ad Marc. 24 : 5, 19 : 6. Notabile est iam Senecam, plane ut Christianos, summo cum contemptu corpus appellare „carnem", quo anima immortalis multo pluris habenda sit. Cf. Epist. 65 : 22, 74 : 16, 92 : 10, 57 : 9.

Valde mirum igitur, quod idem philosophus aliis locis totidem verbis immortalitatem negat. Nam in fabula Troadum, fere ab omnibus doctis Senecae adscripta, versibus gravibus et pulchris, summam dubitationem movet:

„Quicquid sol oriens quicquid et occidens
novit, caeruleis Oceanus fretis
quicquid bis veniens bis fugiens lavat,
aetas pegaseo conripiet gradu.
post mortem nihil est ipsaque mors nihil,
spem ponant avidi, solliciti metum." [1])

Ne Lucretius quidem fortius et apertius vitam futuram negat, quin ipsa verba conveniunt: mors nihil est. [2]) Etiam verba clarissima Caesaris, quibus probare conatur Catilinarios extremo supplicio non afficiendos esse, quod mors sit quies, non poena [3]), satis ostendunt ut haec opinio tristis homines eius temporis incesserit. Eo magis autem his versibus magnificis Manilii vehementer commovemur, qui mirabili modo cum spiritu poetarum recentiorum conspirans, homini aliquid divinum atque immortale arrogat:

„An dubium est, habitare deum sub pectore nostro
in coelumque redire animas, coeloque venire?
. . . . . .
. . . . . Quid mirum, noscere mundum
si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis,
exemplumque dei quisque est in imagine parva?

---

1) Cf. Sen. Troad. edit. Peiper. vrs. 391—4, 406—8. Legendus est chorus 380—418.

2) Lucret. III: 797 sq. 830. Imprimis Plinius Maior VII: 188—191 hac de re legendus; nullus atheos hodie fortius immortalitatem negare possit. Alii rursus rem in medio ponunt, ut ille tristis Stoicus, Tacitus, sic Agricolam mortuum allocutus: „Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae, placide quiescas", etc.

3) Sall. Catil. 51: 20.

aut cuiquam genitos, nisi coelo, credere fas est
esse homines?" etc. [1])

Lucani aequalibus igitur prorsus inter se de morte dissentientibus, poeta quoque plane dubitare videtur, iuxta sententiam philosophicam saepissime opinione vulgari prolata; etiam hac in re apparet Annaeum, tam multa nova fingentem, tamen non eo audaciae pervenisse, ut omnia illa trita et obsoleta de inferis e medio tolleret. Permultis locis enim de morte, de manibus, de inferis agit, prorsus est primus quisque homo e plebe. Nam quoad ex aliis auctoribus et imprimis ex inscriptionibus epitaphiis, nobis invidia temporum relictis, efficere licet, philosophia Epicuri, vitam post mortem negans, apud plebem certe parum valuit. At satis probabile videtur, ut etiam nostra aetate modo pauci homines doctrina ecclesiae Christianae imbuti sunt, alii pauci se his de rebus omnino nescire affirmant, sed multo maxima pars hominum, quibus cogitare molestum est, satis securi opinionibus parentum se accommodant, sic etiam „profanum vulgus" Romanorum, etiam si de deis dubitarent, sententiam maiorum de morte probasse.

Lucanus cum vulgo convenire videtur.

Sed locos ipsos inspiciamus.

Saepissime poeta de manibus, de umbris agit.

Cornelia, a marito Lesbum secedere iussa, ut procul a belli periculo sit, apud Pompeium manere mavult, his verbis usa:

. . . . „morte parata,
te sequar ad manes."

Poeta autem mortem Iuliae, filiae Caesaris et Pompeii uxoris, sic commemorat:

. . . . „pignora iuncti
sanguinis et diro ferales omine taedas
abstulit ad manes Parcarum Iulia saeva
intercepta manu." [2])

---

1) Manil. Astr. IV: 886 sq. 893 sq.
2) Cf. Phars. V: 773 et I: 111.

Putat igitur Lucanus homines post mortem in inferis vivere; sed alibi rursus manes in tumulo aut in aliqua terra degentes finguntur. Cleopatrae aula e. g., a Pompeianis manibus habitatur, et corpore Pompei truncato in arenis Aegypti sepulto, exclamat poeta:

. . . . „Satis o nimiumque beatus,
si mihi contingat manes transferre revolsos
Ausoniam."

Quin etiam manes ab aratore turbantur, nam sic Thessaliam alloquitur poeta:

„Quo non Romanos violabis vomere manes." [1])

Quod cum notione antiquissimorum hominum convenit, mortuos in tumulo ipso aetatem degere, ut permultis inscriptionibus et moribus Romanorum probatur. [2])

Saepius etiam aliud vocabulum, nempe umbras, adhibet poeta, sed sine ullo discrimine, et saepius manes et umbrae una commemorantur; [3]) in his omnibus igitur Lucanus plane cum sententia vulgari congruit.

Informationem vulgarem de inferis saepius commemorat.

Neque eius informatio inferorum a tritis notionibus recedit. Imago e. g. Iuliae Pompeium dormientem his verbis alloqui videtur:

„Sedibus Elysiis campoque expulsa piorum
ad Stygias, inquit, tenebras manesque nocentes
post bellum civile trahor." [4])

Tum sequitur talis descriptio, quas res in inferis viderit, qualem apud Vergilium expectaremus; sed etiam in illa longa digressione de necyomantia omnia illa obsoleta, Eumenides, Styx, Cerberus, Charon, Hecate, Tisiphone aliaque

---

1) Phars. X: 73, VIII: 844, VII: 852, cf. VIII: 834, 795.

2) Inde illud „Sit tibi terra levis." Cf. C. I. L. I: 1108; de tumulo: „domus aeterna, ubi aevum degunt." Inde etiam mos mortuos praeter vias sepeliendi, ut sepulti praetervehentes viderent et alloquerentur.

3) Phars. VII: 612, IX: 123, 817, VI: 512, 157, X: 391, VIII: 857, X: 524, IV: 788, VI: 378, I: 570, X: 336, VIII: 90.

4) Phars. III: 12 sq.

trita adhibentur: sed satis probabile est in hoc excursu narrationem Aeneae, patrem in inferis adeuntis, poetae ante oculos obversatam esse, quam aliquo modo imitatur, minime autem eius ipsius sententiam hoc loco expressam esse. [1]) Nam non modo tota narratio artificiosa, tenui filo annexa, friget, sed satis multis locis opinionem philosophicam, longe recedentem ab illis vulgaribus, promit.

Sententia poetae de fine rerum.

Fide enim inferis et omnibus illis tritis abiudicata, philosophum agit et bis illud dogma Stoicorum conflagrationis mundi universi commemorat, his verbis fine reipublicae cum fine totius mundi comparato:

. . . . „Sic, cum compage soluta
saecula tot mundi suprema coegerit hora,
antiquum repetent iterum chaos omnia; mixtis
sidera sideribus concurrent; ignea pontum
astra petent: tellus extendere litora nolet
excutietque fretum . . . . . totaque discors
machina divolsi turbabit foedera mundi." [2])

Alibi acerbissime Caesari obicit, quod post pugnam Pharsalicam Pompeianis occisis sepulchrum honestum denegaverit, quae res autem a veritate historica recedere videtur. His verbis admodum notandis alloquitur inimicum poeta:

„Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat
an rogus, haud refert: placido natura receptat
cuncta sinu finemque sui sibi corpora debent.
hos, Caesar, populos si nunc non usserit ignis,
uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
communis mundo superest rogus ossibus astra
mixturus . . . . . capit omnia tellus,
quae genuit." [3])

His locis certe, ubi poeta ipse loquitur, animarum non mentionem facit, sed cum e sententia Stoicorum

---

1) Cf. pg. 41—2.
2) Phars. I: 72—80.
3) Phars. VII: 809—815, 818—19. Cf. etiam VII: 134 sq.

anima hominis modo pars animi mundi esset, putabant eam quoque cum mundo perituram esse.

Etiam apud Christianos haec notio permansisse videtur, quippe qui supremo iudicio ultimi diei malos etiam terrere bonosque consolari solent, quo die, teste apostolo Petro, „coeli cum stridore praeteribunt, elementa calore solventur, terra autem et quae in ea sunt opera exurentur." [1]) Quae verba, parum a Lucano discrepantia, argumento esse possunt, multis in rebus Stoicos fuisse praecursores Christianorum. At etiam maximum discrimen inter utrosque notandum: ille dies, quo Stoici cum omni materia etiam animas perituras esse credebant, Christianis est dies resurrectionis; quod ab eodem apostolo, loco supra laudato, sic exprimitur: „sed coelos novos exspectamus et terram novam, secundum eius promissum."

Nonnumquam Lucanus de vita post mortem dubitat.

His locis igitur Lucanus cum Stoicis immortalitatem certe negat; quin nonnumquam omnino de ulla vita post mortem dubitare videtur; nam Pompeio imagine primae uxoris in somno territo haec verba tribuit:

. . „quid, ait, vani terremur imagine visus?
aut nihil est sensus animis a morte relictum,
aut mors ipsa nihil."

Quam sententiam totidem verbis iam Seneca expresserat: „post mortem nihil est, ipsaque mors nihil." [2])

Et operae pretium est haec verba cum Homero comparare: anima Patrocli in somno apparente Achilli, eumque adhortante, ut amicum sepeliat, ille heros, longe aliter ac Pompeius, non exclamat hanc visionem tantum-

---

1) Petr. Epist. II : 3 : 10 et satis multis locis in scriptis sacris de mundi fine agitur. De hoc dogmate Stoicorum imprimis legendi sunt versus notabiles fabulae, quae Senecae attribuitur, Hercul. Oet. 1105—1131: „iamiam legibus obrutis mundo cum veniet dies, ... coeli regia concidens ortus atque obitus trahet, atque omnes pariter deos perdet mors aliqua et chaos." et seq.

2) Phars. III : 38. Sen. Troad. 406.

modo lusum videri, sed contra ei est argumentum animam post mortem manere.

„ὦ πόποι, ἦ ῥά τις ἔστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν
ψυχὴ καὶ εἴδωλον." [1])

Etiam Cornelia mariti dubitatione affecta videtur, nam Pompeium occisum acerbissime deplorans, subito addit:

„iam nunc te per inane chaos, per Tartara, coniunx,
si sunt ulla, sequar." [2])

Et ipse poeta uno loco aperte declarat post mortem nullum sensum esse hominibus, unde miram atque diram exsecrationem in hominem quendam detorquet. Crastinus enim primus in Pharsalica pugna telum in parentes et propinquos iaculatus erat, quam ob rem Annaeus ei non mortem imprecatur, quae, omni sensu amisso, poena hominibus paratur, sed etiam maiorem poenam ei exoptat, nempe sensum post mortem, ut conscientia culpae in se admissae, eum etiam mortuum cruciet. [3]) Perraro autem apud antiquos illam notionem, mortem esse poenam, invenies, [4]) sed contra imprimis Stoici eam summum esse bonum putabant: de qua re paullo post.

Migratio animae Pompeii.

Alio loco rursus, omni dubitatione remota, corpore Pompeii truncato in Aegypto a Cordo cremato, aliquot pulcherrimis versibus eius animae migrationem in astra depingit, neque facile clarior vitae futurae imago apud auctorem antiquum invenietur. Anima Pompeii enim, e corpore lacerato evolans, petit coelum immensum:

---

1) Il. 23 : 103. Neque Aeneas dubitat de Hectoris praesentia in somniis ei apparentis. Cf. Aen. II : 272 sq.

2) Phars. IX : 101—2. Cf. verba Cordi, Pompeium mortuum compellantis: „da veniam, si quid sensus post fata relictum est." VIII : 749.

3) Phars. VII : 470 sq.

4) Cf. Haskins. pg. 250, qui Senec. Dial. XII : 13 : 2 affert, „Si ultimum diem non quasi poenam sed quasi naturae legem adspicis", etc. Cf. Phars. VIII : 395: „tua sors levior, quoniam mors ultima poena est."

„quaque patet terras inter lunaeque meatus,
(semidei manes habitant, quos ignea virtus
innocuos vita patientis aetheris imi
fecit) et aeternos animam collegit in orbes.
non illuc auro positi nec ture sepulti
perveniunt. illic postquam se lumine vero
implevit, stellasque vagas miratur et astra
fixa polis, vidit quanta sub nocte iaceret
nostra dies, risitque sui ludibria trunci." [1])

Mirum quam haec sententia, sine dubio e doctrina Senecae sumpta, recedit ab imagine vitae futurae, qualem Homerus, maximus poeta, sibi informat; Achillem enim depingit in inferis acerrime de sua sorte querentem et exclamantem se multo praeferre esse famulum alicuius domini pauperis in terra, si iterum vivere liceret, quam omnibus umbris in Hade degentibus imperare. [2]) Quanto nobiliorem imaginem noster poeta nobis ante oculos ponit Pompeii, in coelo „lumine impleti," studia humana sordida atque viles curas despicientis! His verbis utriusque poetae comparatis in oculos incurrit, quo modo philosophia quasi caliginem ab hominum animis dispulerit.

Fuere qui, fortasse a Micylo commoti, putarent totam hanc imaginem e Platonica doctrina de immortalitate esse sumptam, [3]) neque negare possumus illa verba „lumine vero implevit" „Platonem sonare." Fortasse etiam Vergilius, qui de morte tam sollemniter agit, aliquid valuit. Sed ab alia parte constat multos Stoicos docuisse animas bonorum corpus mortale relinquentes statim aerem sive coelum petere, [4]) atque sub luna ha-

---

1) Phars. IX: 6—14. Lectio satis incerta. Priscian., et Cod. Ashburnh. habent „quodque." Gronovius autem (Observ. I pg. 13) coniecit vrs 6 pro patet: „patens", (accusativo pendente ab „habitant,") satis feliciter.

2) Odyss. 11: 488. 3) Cf. Haskins ad hunc locum.

4) Cic. Tusc. I: 18: 42; Lactant. VII: 20 Tertull. de an. 54.

bitare, et Manilius quoque, poeta sine dubio philosophia Stoicorum imbutus, eandem doctrinam de vita futura profitetur. Inquisitione de via, quae lactea dicitur, instituta, quaerit ille poeta:

„An fortes animae dignataque numina coelo
corporibus resoluta suis, terraque remissa
huc migrant ex orbe?"

Et paullo post respondet:

„Illa deum sedes, haec illis proxima, divum
qui virtute sua similes vestigia tangunt." [1])

Probabile igitur Lucanum hanc migrationem e sententia Stoicorum informasse.

Num igitur Annaeus firmiter persuasum habebat animas omnium bonorum via recta in regiones lunares migrare? Admodum id dubitamus: sed homine amplissimo, quo nobiliorem nullum sibi fingere potest, misere pessumdato, poeta a notione, talem hominem tali morte in aeternum esse exstinctum, refugit. Et satis probabile videtur, honorem divinum, quo imperatores mortui afficiebantur, eum adduxisse, ut etiam Pompeium in numerum deorum referret, non sordidis hominum adulationibus divum factum, sed suo iure domum beatorum petentem. Lucanus poeta, non Lucanus philosophus eos versus scripsit, ita ut ex illa Pompeii apotheosi eius certa sententia effici non possit, ut nobis quidem videtur.

Saepius mors summum bonum videtur.

Sed identidem in Pharsalia doctrina Stoica, mortem esse summum bonum summopere petendum, in medium profertur. Sunt multi, (imprimis ii qui, nulla opera in studium temporis praeteriti data, sibi firmissimum iudicium de rebus hodiernis arrogant) qui putent illud odium et taedium vitae, quod etiam hodie tam multos ad mortem voluntariam adducit, esse proprium et peculiare nostrae aetatis; quin Galli lepide haec omnia, ut signa culturae labantis, statim „fini saeculi" tribuunt.

---

1) Manil. Astron. I: 758—60, 803—4.

Sed multi scriptores veteres probant etiam temporibus antiquissimis homines, philosophia quidem eruditos, vitam mortalem, curis et laboribus, inimicitiis et spe frustrata refertam, nihil aliud esse nisi onus, plerisque certe animantium, putasse.

Iam Herodotus, lepida fabula de Cleobi et Bitone narrata, affirmat deum illis iuvenibus praemium pietatis mortem dedisse, ut maximum donum, quod deus homini dare posset, [1]) Menander autem dicit, quem di diligant, iuvenem mori. Sed imprimis cum opinionibus ethicis Stoicorum Romanorum convenit illud desiderium vehemens mortis, ut liberationis et perfugii omnium calamitatum, quod praesertim Senecae scripta notat. [2]) Dolemus quod locus et argumentum nobis non sinit disserere de sententiis antiquorum imprimis Stoicorum, de morte voluntaria et quatenus a nostris opinionibus recedant: [3]) at videamus quo modo Lucanus aequalium opiniones his de rebus expresserit.

Lucani sententia de mortis felicitate.

Pompeius, omnibus rebus perditis, extremo momento, a Septimio ictus, moriens secum loquitur:

„mutantur prospera vitae:
non fit morte miser." [4])

---

1) Herod. I: 31. Cic. Tusc. I: 47: 113 cf. Mimnerm. frg. 2.
„αὐτίκα τεθνάμεναι βέλτιον ἢ βίοτος."

2) Sen. Epist. XXIV, LXX, LVIII. Cons. ad Marc. CXX. de Ira III: 15.

3) Sed cf. W. E. H. Lecky: Hist. of European Morals." Lond. 1869; imprimis legendum pg. 223—238, ubi etiam multos alios locos affert.

Cf. Lipsius: „Manducatio ad Stoicam Philosophiam", lib III diss. 22, 23.

Cf. M. M. Baumhauer: „de Morte Voluntaria." Traiect. ad Rhen. 1843, qui pg. 219—256 dat tabulam chronologicam 455 scriptorum recentiorum de morte voluntaria! O hominem miserum, qui eos omnes perlegeris!

4) Phars. VIII: 631.

Putat igitur res secundas et prosperas quidem huius vitae miserae esse mutabiles, mortem autem summum bonum, quod huic instabilitati finem faciat.

Pythia autem, ab Appio consulta, asseverat neminem deorum nisi mortem posse efficere ut malis vacet. Neque ille locus communis apud Lucanum desideratur, neminem ante mortem esse felicem, nam „fortuna prior est dedecori, nisi summa dies cum fine bonorum adfuit." Homo enim numquam fortunae potest fidere, ita ut se felicem praedicare non possit, nisi fortuna usque ad ultimum diem vitae permanserit. Mors fere ut liberatio videtur periculorum, quibus Fortuna hominibus minatur.

Alibi rursus poeta mortem laudat, quae omne discrimen inter homines tollit: nam „libera fortunae mors est." [1]) Ille miles ex inferis revocatus magicis artibus Thessalae sagae, non gaudet, quod rursus vita fruatur, sed contra maestus homines adhortatur, ut „mori properent, manesque Romanorum deorum calcent." [2]) Et postquam fata peregit, mortem reposcit. Manes deorum Romanorum autem, qui sunt? Satis liquet poetam Imperatores in animo habere, in quos tam acerbe invehitur. Sed ille miles est aequalis Caesaris, mortuus et revocatus multis annis ante Imperatores! Non videmus quo modo poetam hoc loco gravis temporis lapsus absolvere possimus.

Poetae sententia de morte voluntaria.

Cum igitur Lucanus omnino cum Caesare convenire videatur, „in luctu atque miseriis mortem aerumnarum esse requiem, non crucem," non mirum, si eos laudibus ad coelum tollit, qui sibi mortem consciscere audeant. More Indorum narrato, qui vivi rogos calentes conscendant, exclamat cum admiratione:

. . . . „Pro quanta est gloria genti
iniecisse manum fatis, vitaque repletos
quod superest, donasse deis." [3])

---

1) Phars. V : 229, VIII : 29, VII : 818, cf. VIII : 395 verba Lentuli: „mors ultima poena nec metuenda viris."

2) Phars. VI : 807 sq. 3) Phars. III : 240 sq.

Quin Cato oratione funebri pro Pompeio habita, diserte affirmat, mortem esse petendam, his verbis usus:

„scire mori sors prima viris, sed proxima cogi." [1])

Vulteius autem, dux navis ab hostibus interceptae, milites suos adhortatur ut se ipsi interficiant, mire deis conviciatus, qui „homines celant felix esse mori," [2]) ne omnes scilicet morte sibi finem aerumnarum parent! Neque frustra dux militibus mortem voluntariam probat, nam summo gaudio se morti appropinquanti offerunt, quam „sentire iuvat."

Utinam poeta ipse, sua ipsius morte hanc sententiam probasset! Sed coniurationis Pisonianae accusatus, teste Suetonio, „ad humillimas preces devolutus, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit," ut Neronis veniam expeteret. Caveamus autem, ne severius de Lucano iudicemus, nam quis homines optimos et suae immortalitatis beatitudinisque futurae certissimos non novit, qui in periculo versantes aut morbo affecti summopere vitam producere studuerint? Immo ipse „populos quos despicit Arctos", beatos praedicat, „quos ille maximus timorum, leti metus, haud urget." [3]) Optime igitur sciebat poeta non omnes homines mortem ita contemnere ut Stoicos, neque omnibus eam vitam „inter stellas, lumine impletam" iucundam videri! Etiam apud nostrum poetam natura plus quam doctrina valuisse videtur.

Conclusio. Quae iam est Lucani sententia de fine rerum et de morte? Non magis quam nostra aetas, quidquam certum scire aut pro certo affirmare videtur. Commemorat quidem

---

1) Phars. IX : 211.

2) „ IV : 519. cf. totam Vulteii orationem milites ad mortem incitantis IV : 477—520.

3) Phars. I : 458 sq. Doctissimus Nisardius (II pg. 95), hoc loco laudato, exclamat: „Ille, qui hoc scripserat, matrem delaturus erat." Vae generi humano, si sequatur ut omnes, qui mortem metuant, etiam suas matres criminis accusent!

campos Elysios et Tartara, manes et umbras, omniaque illa trita et obsoleta, quibus vulgus fidem adhibebat, sed cum suam ipsius sententiam promit, sine dubio Stoicum agit, nam putat aliquando mundum universum periturum esse; imprimis de morte voluntaria, opinionibus Senecae et aequalium imbutus, Stoissare videtur.

Quid poeta de rebus divinis et humanis senserit.

Quid igitur e „confusione et permixtione et colligatione" versuum Pharsaliae de sententia Lucani de rebus divinis et humanis efficere possumus? Deos esse sine dubio poeta agnoscit, sed plerumque sunt magis notiones philosophicae quam dei personales, nulla re iis attributa nisi ira vehementi in Romanos. Vis autem ipsa in scaenam prodiens, omnia humana gubernans, est fatum, quod saepe fere ut deus personalis et cogitans in poemate incedit. Sed necessitate poetica coactus, poeta fato assimilat Fortunam, quae personaliter depicta, fere partes deorum Homeri agit. Permultis locis autem poeta sibi non constat et fatum Fortunamque rursus alio sensu adhibet, carmine sine dubio nimis festinanter confecto, ut iam antea doctor doctissimus, omniumque „Lucanissimus", de lectionibus Pharsaliae agens his verbis affirmavit: „Lucanum constat non perfectum neque expolitum carmen suum reliquisse . . . . . [Septem reliqui libri] festinanter in chartam coniecti, passim iam ante confectum carmen aliquam retractationem a properante poetae manu experti sint, necesse est." [1])

Omnibus rebus a fato constitutis, maximam fidem adhibet Lucanus oraculis et portentis; de morte autem admodum dubitat. In universum poeta, doctrina Stoica tinctus, his in rebus opinionibus hominum aequalium, aliquo modo excultorum, convenire videtur, eorem qui-

---

1) Cf. clar. C. M. Francken: Mnem. 1890 pg. 19.

dem, qui neque homines plebei, neque philosophi erant. Sed non raro postulatis artis poeticae obsecutus, philosophia deserta, novam et peculiarem opinionem, imprimis de ira deorum, promit.

His igitur peractis, speramus fore ut tu, candide lector, addas: non nimis infeliciter! [1])

---

1) Hoc loco pauca addere volumus de duobus libellis, iam pg. 5 commemoratis, quos sero in nostras manus delatos, non prius afferre potuimus. Primus est „Fr. Ottl.: Lucans philosophische Weltanschauung", et originem Germanam ratione scribendi accurata et praestantissima prodit. At paginis tredecim vix summas res attingere potuit: sed gaudemus quod ille quoque Lucanum plerumque Stoissare putat. Aliis septem paginis agit de sententia poetae de rebus ethicis.

Alter libellus est aemulus nostri, nempe thesis a M. Souriau proposita, quae inscribitur: „de deorum ministeriis in Pharsalia", et sua venustate audaciaque originem Gallicam demonstrat. Sed eheu! quam multum homines duo eadem de re dissentire possunt! Dolemus enim quod doctissimus Souriau novam philosophiam Romanam excogitavit, aut potius misero Senecae inventionem tribuit, (cf. Souriau pg. 85), „societatem monstruosam" inter Epicureos et Stoicos pangens! Admodum dubitamus, num ullus Romanus tale minutal doctrinarum philosophicarum professus sit! Sententia, quae iam pg. 28 sq. refutare conati sumus, probata, accusat adversarius Gallicus poetam, ubicunque per punctum temporis, castris Stoicorum desertis, suam ipsius viam ingreditur, quod castra Epicurea petiverit! Et dum quaestionem, quam vim fatum et Fortuna in Pharsalia habeat, vix una pagina attingit, permulta disseruit de Catone, et de quaestione, num Petronius in animo habuerit illis trecentis versibus in Satyricon Lucanum imitari an reprehendere. Quae quaestio cum ad nostrum argumentum non necessaria sit, lectores nostros ad librum ipsum perelegantem amandamus.

THESES.

I.

Luc. VI: 725: „eripitur, non posse mori", leg. „eripitur nunc (nc̄), posse mori."

II.

Luc. VII: 168: „scelerum superos", leg. „scelerans."

III.

Luc. X: 408: „maxima merces," praeferenda est lectio Cod. Ashburnh. „proxima."

IV.

Tacit. Ann. VI: 38: „Non enim Tiberium . . . tempus preces satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret," leg. „oblita."

V.

Tacit. Ann. XV: 51: „Epicharis quaedam accendere et arguere coniuratos," leg. „acuere."

VI.

Lucanus magis in principatum quam in Neronem invehitur.

VII.

Lex Villia Annalis modo legitimam aetatem, non intervallum inter duos magistratus constituit.

VIII.

Hodie non amplius licet cognoscere, quo modo comitia centuriata et tributa post ann. 241. a. C. n. cohaeserint, sententia autem Pantagathi est reicienda.

IX.

Immerito Horatius sales Plautinos vituperat.

X.

Xen. Hell. II : 3 : 48: „τὸ μέντοι σὺν τοῖς δυναμένοις . . . ὠφελεῖν, διὰ τούτων τὴν πολιτείαν, πρόσθεν ἄριστον ἡγούμην εἶναι," leg. διοικεῖν. Infinit. post τὸ aegre desideratur.

XI.

Aesch. Prom. 480:

„οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδὲν, οὔτε βρώσιμον
οὐ χριστὸν, οὔτε πιστόν κ. τ. λ."

leg. οὔτε παστόν.

XII.

Soph. Oed. Col. 842: „πόλις ἐμὰ σθένει", leg. „πόλις ἀμαχανεῖ."

XIII.

Plato. Phaed. pg. 62 A: „ἴσως μέντοι θαυμαστόν σοι φανεῖται, εἰ τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων ἁπλοῦν ἐστιν καὶ οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ, ὥσπερ καὶ τἆλλα, ἔστιν ὅτε καὶ οἷς

βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν," leg. „οὐ διπλοῦν ὄν" pro „οὐδέποτε" et verba alicuius interpretis „ἔστιν ὅτε καὶ οἷς" sunt delenda.

XIV.

Caput XVII libri tertii Thucydidi abiudicandum est.

XV.

Narratio Plutarchi (Cim. c. 8) de decem strategis, qui Sophocli primam fabulam docenti palmam addixerint, est reicienda.

XVI.

In fabula Sophoclis, quae Antigone inscribitur, Creon revera primas partes agit.

XVII.

Solon, non Draco, quattuor classes Athenienses instituit. Quam ob rem in opere Aristotelis nuper invento, de civitate Atheniensi, post verba „τιμήματα διεῖλεν εἰς τέτταρα τέλη", (c. 7) delenda sunt verba sequentia interpolata: καθάπερ διήρητο καὶ πρότερον."

XVIII.

Maior fides habenda est Xenophonti (Hell. II : 3 : 51) quam Aristoteli, (Ath. polit. c. 37) de ratione qua Critias adversarium Theramenem pessumdederit. In universum primae parti operis Aristotelis (cap. I—XLII) non nimis credendum.

XIX.

Sententia Aristotelis de legibus Draconis magis probabilis est quam sententia vulgaris.

XX.

Leges duodecim tabularum magis e re patriciorum quam e re plebis erant.

XXI.

Tib. Gracchus, homo ambitiosus et turbulentus, nimis laudatur a plerisque scriptoribus recentioribus.

XXII.

Suetonius tantummodo opera Latina, non Graeca scripsit.

XXIII.

Philosophia Stoica multum valuit ad religionem Christianam apud Romanos propagandam.

XXIV.

Ineptissime dixit Carlyle (Hero Worship Lect. V) „The true University of these days is a collection of books", et ibid.: „All that a University can do for us is to teach us to read."

XXV.

In litteris Graecis et Latinis in scholis tradendis, non minus argumento rebusque ipsis et elegantiae orationis, quam rebus grammaticis studium dandum est.

XXVI.

Studium abrogandi litteras Graecas in scholis docendas, est indicium culturae labantis.